J. C. Groszgebauer.
Considerati[illegible] theol. gloria corporum beator.
Ex ep. Pauli ad Phil. III. 20. 21.
Kilon., 1680.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

1,-304.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01542 8
+REX
BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

I. S. N. I. C.

CONSIDERATIO THEOLOGICA

GLORIÆ COR-PORUM BEATORUM.

Ex Ep. Pauli ad Phil. cap. III. com. 20, 21.

QVAM

D. O. M. I.

IN INCLYTA HOLSATORUM ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA,

PRÆSIDE

PRORECTORE MAGNIFICO,

VIRO MAXIME REVERENDO AMPLISSIMOQ.

DN. CHRISTIANO Kortholt/

SS. Theol. Doctore & Pr. Prim. Celeberr.,

Fact I.ᵉ Suæ Hodie Decano Spectabili,

Dn. Præceptore atque Patrono ſuo omni Pietatis atque Obſervantiæ cultu æternumq; devenerando,

Ad piam ſermonum collationem proponit

JOHANNES VALENTINUS

Groſzgebauer/ *Roſtochienſis,*

AUCTOR ET RESPONDENS.

Habebitur in Auditorio Theologorum D. Aprilis A. cIↃ IↃC LXXX.

K I L O N I,

Literis JOACHIMI REUMANNI, Acad. Typogr.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, *DOMINO* GUSTAVO ADOLPHO, DUCI MECKLENBURGENSI,

PRINCIPI vetuſtæ gentis Henetæ, Schwerinenſi & Raceburgenſi, Comiti Schwerinenſi, Domino Terrarum Roſtochii & Stargardiæ,

PATRI PATRIÆ OPTIMO, DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

DEUM ſoſpitatorem,
Domum florentem,
Imperium tranquillum,
Subditos fortunatos,
Vitam perennantem.

P. P.

DISSERTATIONEM HANC QUALEMCUNQUE
Submiſſiſſimâ mente conſecro
Civis ſubjectiſſimus

JOH. VALENTINUS Großgebauer / Roſtoch.

B.R.H.
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME

ILle celebratiſſimi nominis Scriptor Plutarchus Chæronenſis inſcribens Apophtegmata ſua Trajano Imperatori, his verbis utitur: *Artaxerxes, Perſarum Rex, Trajane Cæſar, Imperator maxime, exiſtimans, non minus Regiam Majeſtatem decere & humanitatem, parva benigne alacriterque accipere, quàm magna largiri, cum ſibi iter facienti operarius quidam ac plebejus homo utraque manu hauſtam è profluente aquam (quia nihil habebat aliud) obtuliſſet, hilari vultu accepit, munus non uſu rei oblatæ, ſed ſtudio dantis metiens. Eo conſilio ipſe quoque tenue Tibi munus cum offeram,*

auctoris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

auctoris juxtà ſtudium & commentarii utilitatem ut probes, rogo. Quâ tantus ſcriptor excuſatione utitur, quidni longè potiori jure utar ego, dum TIBI, Sereniſſime Princeps, levidenſe hoc & chartaceum offero munus? Confido autem & TE Artaxerxis, Trajani, atque Veſpaſiani (cui ſimili cum modeſtia Hiſtoriam ſuam Naturalem dicabat Plinius) laudatiſſima exempla imitaturum & meas iſtas pagellas propitiâ fronte inſpecturum eſſe. Sic TE, Sereniſſime Princeps, bono publico ſalvum diu incolumemque præſtet propitium Numen. Scribo in Academia, quæ Kilonii Holſatorum eſt, Chriſtian-Albertina, die XXVII. Martii (qui GUSTAVO infaſtis ſacer) anni CIↃ IↃC LXXX.

Serenitatis Tuæ

Civis ſubjectiſſimus,

JOH. VALENTINUS Großgebauer.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

J. S. N. J. C.

PROOEMIUM.

BRevis, at concinna ſpirituque plena eſt illa, Illuſtris Hipponenſium Præſulis, quotidiana ad Deum oratio: *Da mihi noſſe te, noſſe me.* Digna certè, quæ non ſtatuis tantum lapidibusve, ſed memoriæ ipſi ac animis hominum debeat inſcribi: continet enim deſiderium ſapientiæ verè primæ, reliquas omnes eminentiâ, utilitate, jucunditate, ac dignitate longiſſimè exſuperantis, &, in quo tota Chriſtianiſmi noſtri ratio conſiſtat, paucis, ſat nervosè tamen explicat. Etenim, qui exoptat inſigniri egregiò Chriſtiani nomine, eum exactisſimè *Noſſe* oportet, Quis ſit Ille in Eſſentia, cui nomen ſuum, ſacro baptismatis lavacro tinctus, dedit; quot ſint Perſonæ; quæ Axiomata; qualia opera, quibus ſe creaturæ rationali clariſſimè detexit; cujus generis ſit deſponſatio divinæ naturæ cum viliſſimâ noſtrâ; quanta ac quam immenſa ſint beneficia, ἐνσαρκώσει τȣ̃ λόγȣ parta. Præterea ſe Ipſum *Noſſe* tenetur Chriſtianæ religionis Cultor; Qualis fuerit conditus, nempe labis omnis expers, ſanctus atque juſtus; Quis nunc ſit per naturæ primævæ depravationem, ſcilicet infenſiſſimus nominis divini hoſtis, ſed (DEO ſit gratia) de novo per media ſalutifera reconciliatus Patri cœleſti hæresq; vitæ æternæ ſcriptus; Quis tandem futurus, civis nimirum atque Incola re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

la Regni cœlorum. O profundam & inexhauſtam Sapientiam, ad quam admitti Servatorem ſuum demiſsè compellat Divus Auguſtinus! Sed quò hæc tendunt? Scilicet cum in præſenti ultimam cognitionis partem à S. Viro efflagitatam, carnis videlicet noſtræ multis in hâc vitâ calamitatibus maceratæ gloriam, ex pulcherrimo ſolatiique abundantisſimo loco Paulino ad Philipp. cap. 3. comm. 20. 21, pro virium tenuitate enodatam devotæ primùm meditationi ſubjicere, poſt publicæ quoque disquiſitioni exhibere conſtituiſſemus, Idem Auguſtini etiam nobis dictum eſſe putavimus. *Da* igitur, benigniſſime DEUS, rectè *Noſſe* futuram corporum noſtrorum glorioſam conditionem, ſic enim dabitur via propius ad Tui cognitionem accedendi. Te interim, L. B., ut, ſi quid boni hic erit, nobiſcum gratias agas DEO; ſi quid minus placebit, rationem ut habeas tum communis naturæ hominum ad multos errores pronæ, tum maximè ætatis noſtræ, valdè obſecramus. Ut autem conſtet de modo tractandi textum propoſitum, totam Πραγματείαν tribus includemus Sectionibus.

I. Textus Exegeſin Philologico-Theologicam ſiſtet.

II. Textus Συνάφειαν & Analyſin Logicam exhibebit.

III. Porismata quædam è textu deducta proponet.

Textus Originalis.

Ἡμῶν δὲ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν χριςόν.

Ὅς

Ὅς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα.

Verſio Theod. Bezæ.

Noſtra verò civitas in cœlis eſt ; unde etiam Servatorem expectamus Dominum JESUM CHRISTUM.

Qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioſo, pro illa vi efficace, quâ poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia.

Verſio B. Lutheri.

Unſer Wandel aber iſt im Himmel/ von dannen wir auch warten des Heylandes JESU CHRISTI des HERRN.

Welcher unſern nichtigen Leib verklähren wird / daß Er ähnlich werde ſeinem verkläretem Leibe / nach der Wirckung/ damit Er kan auch alle Ding jhm unterthänig machen.

Verſio Belgica.

Want onſen Ommegangh is in de Hemelen/van waer wy oock onſen Heere JEſum CHriſtum verwachten/

Die ons vernederde Lichaem ſoo ſal veranderen / dat het zynen heerlicken Lichaeme ſal gelyck formich zyn/ na die Cracht/ door welcke hy ſich ſelven alles can onderwerpen.

SECTIO PRIMA.

Exegeſin textus Philologico-Theologicam proponens.

§. 1.

INter voculas textus hoc loco conſiderandas primùm ſe offert vocabulum (δὲ) conjunctio adverſativa : quam & Syrus habet ; cui adſtipulantur Vulgatus, Verſio Germanica aliiq;. Arabs legit *Nam:* uti etiam Græci quidam codices heic habent γὰρ. Cujus particulæ ſignificationes plurimæ in Scriptura reperiuntur ; inter quas eminet συλλογιστική τοῦ γὰρ explicatio, quæ valde mordet Doctores Pontificios, ſemper cauſaliter vocem hanc interpretantes ad gratificandum malæ ſuæ cauſæ. Huc faciunt loca Matth: 16. v. 2. cap. 25. v. 34. Joh. 10. v. 26. 1. Cor. 10. v. 5. in quibus τὸ γὰρ non deſignat cauſam rei exquiſitè ſic dictam, efficientem nempe aut meritoriam, ſed rationem ſolummodò aut probationem ejus, quod dictum, petitam vel à ſigno, vel ab effectu, vel ab adjuncto, teſtimonio, ſimilibusque circumſtantiis. Confer B. D. Glaſſ. Phil. S. L. 3. tr. 7. c. 17. p. 612. Hoc loco ea ſi admittenda lectio, coincideret cum particula δὲ, ejusque indueret ſignificationem. Confirmaturus enim Apoſtolus, quæ paulo ante de impiis eorumque fine dixerat, oſtendit id â fine contrario, eorum nempe, qui curant cœleſtia. Vid. Prückn. in Vindic. Bibl. item Piſcator & Cocc. ad h. l.

§. 2. (Πολίτευμα) ſemel tantum hæc vox occurrit in V. & N. T. nempe 2 Maccab. 12, v. 7 (notante Dn. D. Geiero in conc. funeb. part. 2. con. 27. p. 198) & h. l. Varias autem ſuſtinet interpretationes: Syriaca enim verſio transtulit *Exercitium*; Æthiopica *Civitatem*; Arabica *Converſationem*, hanc ultimam retinent omnes ferè interpretes, nec abnuit Verſio Batavorum. Piſcator legit *municipium*; Brianus Walton. denique *adminiſtrationem*. Nos, ne curioſius inquiramus in iſtas verſiones, id tantum obſervamus cum Cl. Heinſ. in Exerc. S. ad N. T. p. 456, minus rectè πολίτευμα reddi *municipatum*. Rationes, quas brevitatis gratia omiſimus, inveniet L. B. l. c. Inter reliquas interpretationes non tàm pugnam quàm ſuavem conſpirationem intercedere dixeris, id quod planum fiet, ſi paulò altius repetierimus varias *civitatis* in ſcripturâ uſitatas

acceptio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

acceptiones. Quatuor autem potiſſimum ſubſtat ſignificationibus propriæ ſcilicet, metaphoricæ, metonymicæ, & ſynechdochicæ. Et quidem (1) Propriè acceptum vocabulum *civitatis* ſignificat partim locum, in quem undique confluxere homines, partim ſocietatem hominum ex multis in unum locum collectorum, & unô pariter eodemque jure utentium Deut. 28. v. 3. & 16. Eſr. 4. v. 10. Prov. 1, v. 21. cap. 8, v. 3. Jer. 23, v. 39. 2. Cor. 11, v. 26. II. Metaphoricè denotat (α) ſedem beatorum, Heb. 11. v. 16. Apoc. 14. v. 10. Πόλιν μέλλουσαν Hebr. 13, v. 14. (β) Eccleſiam tàm in hoc ſeculo militantem Eſ. 26, v. 1. Hebr. 12. v. 22, quàm in cœleſti gaudio triumphantem Apoc. 3, v. 12. cap. 21, v. 2. cap. 22, v. 19. (γ) Babylonem myſticam, Apoc. 11, v. 8, 13. cap. 16. v. 19. c. 17. v. 18. III. Metonymicè innuit (α) ſtatum Reipublicæ. Pſ. 127. v. 2. (β) Incolas civitatis, 1. Sam. 4, v. 13. 1. Reg. 1, v. 41. Eſth. 8, v. 15. Eſ. 1. v. 21 Jer. 4, v. 29. Matth. 3, v. 5. Act. 8, v. 14. IV. Synechdochicè intelligitur per *civitatem* (α) Jeruſalem, Ezech. 33, v. 21. Matth. 26, v. 18. (β) Roma, Apoc. 11, v. 13. (γ) Corinthus, Rom. 16, v. 23. Secundam & tertiam ſignificationem civitatis litera α ſignatam noſtram facimus. Cùm enim Voluptuoſi fixam perpetuamque ſedem ſibi in his terris quærant, & verò fideles, teſte Apoſtolo ad Hebr. 13, v. 14, non habeant hìc manentem civitatem, ultrò ſequitur, alibi pro iis, in cœlis videlicet, perpetuum exſtructum eſſe domicilium, ad quod pertinent ut συμπολῖται, cujus non ſaltem jura, privilegiaque communia habent, ſed ſemper quoque corruptioni adhuc obnoxii, ita vitæ ſuæ actiones inſtituunt, quaſi qui jam actu verſentur in cœlo, obliti voluptatum inanium; qui fide in DEUM verâ, (quam charitas erga proximum non fucata comitatur) ad intrandum civitatem ſanctam omni ſtudio curâque indefeſſâ allaborant. Verbo: gaudia cœleſtia anhelantes vitam agunt ſanctam, cum DEO, Angelis, totoque Beatorum choro uniri quam primum geſtiunt, indeque cogitationes eorum tantum cœleſtia ſpirant ab omni rerum terrenarum impuritate defecatæ. Ecce nunc, quam optimè conſpirent omnes interpretationes & altera alteram illuſtret atque explicet. Πολίτευμα igitur qui dicit, nominat civitatem, converſationem, vitam cœ-

leſtem, jus item ſanctum hæreditatemque ex æquo competentem omnibus ſanctis. Vid. Bald. comm. in h. l Glaſſ. l. c. l. 5 tract. 1. c 12. p. 393. Cocc. com. in epiſt. ad Philipp. Rav. Bibl. S. ſub voce *Civitas*.

§. 3. (ἐν ὐρανοῖς) De natura & conditione præpoſitionis ἐν multa præcipientem Vid. B. Glaſſ. l. c. l. 3. tract. 6. p. 523. & ſeqq. Hoc loco quietem in loco ſignificans conſtruitur cum Dat: At voculâ eâ miſsâ ſcrutandum nobis ſiſtitur nomen ὐρανὸς, multis involutum difficultatibus. Ubi ante omnia diſpiciendum, cur in plurali, non verò ſing. numero Apoſtolus hic loquatur: Hieron. putat ſingulariter intelligendum eſſe, etſi pluralis numerus adhibeatur, confer comm. ejus in cap. 1. Eſ. Theodor. verò cum in Geneſin tum in Pſal. 182. cenſet, idioma linguæ Hebrææ ſervari, cum illa pro more habeat, *cœlum* in plurali efferre. Deinde perpendendi varii *cœli* ſignificatus. Ductum e. Scripturæ ſequentes obſervamus, quod nomine *cœli* veniant (1.) in Genere tota regionis elementaris expanſio, Gen. 19, v. 24. 2. Reg. 1, v. 10., in ſpecie regio aërea, tum tota 1. Reg. 18, v. 45. Job. 26, v. 11, 13. Pſ. 18, v. 14. Eſ 45, v. 8. Jer. 8. v. 7. Matth. 16, v. 2, & 3., tum certa ejus portio, Levit. 26, v. 19. Deut. 28, v. 23. (2) DEUS ipſe ratione cœli majeſtatici Pſ. 73, v. 9. Matth. 21, v. 25. Luc. 20, v. 4, 5. Joh. 3, v. 27. (3) Angeli & animæ fidelium exiſtentes in cœlo Beatorum Job 15, v. 15. Pſ. 89. v. 6. Apoc. 12, v. 12. cap. 18, v. 20. (4) Sidera in cœlo ſydereo, Pſ. 148, v. 13. (5) Majeſtas infinita & gloria æternæ Deitatis inacceſſa; in quo cœlo DEUS eſſe, ex quo proſpicere, & in quo exaudire preces noſtras dicitur Pſ. 14, v. 2. Pſal. 115, v. 3. 1. Reg. 8, v. 30., in quod Chriſtus à reſurrectione aſſumptus ſedet ad dextram Patris, etiam quà humanam naturam, gubernando univerſum mundum, Eccleſiamque ſuam tam militantem, quam triumphantem, & ſubjiciendo ſibi omnes poteſtates & dominatus adeoque & Spiritus damnatos ac homines reprobos. (6) Conditio ac ſtatus cœleſtis Angelorum bonorum nec non hominum beatorum, Matth. 5, v. 10. cap. 7, v. 21. 2. Cor 12. v. 2, cujus naturam ſcitè deſcripſit Auguſt. cap. 35. ſoliloq. Non verò confundendum eſt cœlum glorioſum cum cœlô Majeſtaticô; *Hoc* enim eſt lux inacceſſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

acceſſa, eſt regnum æternum, non enim in tempore cœpit omnipotens eſſe; illud contra acceſſum patitur & aliquando non fuit. (7) Receptaculum jucundiſſimorum cœli florum perpetua lege ac conſtanti ordine iter ſuum abſolventium, Annos item, Menſes, Dies, Noctesque diſtinguentium Gen. 15, v. 15. Pſ. 19, v. 7. Sextus ſignificatus hìc locum habet.

§. 4. (Ἐξ οὗ) Mirum in modnm hìc diſſentiunt Interpretes. Syrus enim, judice Grot. ad h. l., magis rem ſpectat, quam quod præceſſit vocabulum; Arabica autem Verſio legens, *E Quibus*, deſerit fontem; juxta Æthiopem denique eſt *Qui.* Et ſanè dubio non caret uſurpatio numeri ſing: pro plur: Piſcat. cum complicibus ſuis ſubintelligi vult τόπου. Melius rem tetigiſſe ſibi videtur Cajet., referens voces ad totum antecedens. Sed adhuc propius congruit explanatio Eſtii, putantis, Apoſtolum more ſuô neglexiſſe conſtructionem grammaticam, eò magis, quod vox græca indifferenter utroque uſurpetur numero. Omnium autem rectisſimè B. Glaſſ. l. c. l. 3. tr. 2. p. 206. hanc ex Philologiâ ſubminiſtrat rationem; contingere ſæpiſſimé, ut reſpondeat ſubſtantivo plur. pronomen ſing. Conf. Deut. 21, v. 10. Joſ. 2, v. 4. 2. Reg. 3, v. 3. Pſ. 35, v. 8. Craſſæ verò & impiæ ſententiæ Piſcat., quæ infert negationem præſentiæ Chriſti quoad humanam naturam & incluſionem in certo loco, recte reponunt Theologi Orthodoxi; τὸ ἐξ οὗ reſtringendum eſſe, non ad dextram Patris, quaſi illam, ceu determinatum in cœlo à terris τοπικῶς diſtantem locum, rediens ad extremum judicium tum ſit deſerturus Chriſtus: ſedebit enim ibi in perpetuum ἀκίνητος; verùm tum ad cœlum Beatornm, quod, quale & ubi ſit, non eſt noſtræ fragilitatis diſcutere, ſed uni & ſoli Verbo DEI de illo loquenti attendere; tum ad viſibilem & localem reditum ad judicium de cœlo, inter quem & illocalem divinæ præſentiæ Majeſtatem, Chriſto juxta carnem in primo ſtatim conceptionis momento per unionem hypoſtaticam communicatam πρὸς τὴν κτῆσιν, & per inſecutam ad dextram DEI ὑπερύψωσιν πρὸς τὴν χρῆσιν plenariam donatam, nulla ἀντίφασις, ſed ſumma intercedit conordia D. Feuerborn. Synt. 2. Sacr. Disquiſ. Diſput. 1. pag. 5. 8.

§. 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

§. 5. (καὶ ἀπεκδεχόμεθα) Conjunctionem copulat καὶ Æthiops Arabsq; neglexêre. Significationes ipſius annotatas Vid. apud B. Glaſſ. l. c. tr. 7. p. 590. Hoc loco non ſimpliciter copulandi gratia ponitur, ſed ſimul obtinet vim quandam ætiologicam Additurns enim Apoſtolus ſententiæ ſuæ robur, quæ erat, πολίτευμα in cœlis eſſe, inde pro confirmandâ illâ, hâc utitur particulâ, eum in modum fere colligens: Ubi Salvator, ubi Dominus noſter J. C. eſt, ibi etiam neceſſe eſt dari civitatem, converſationem ac privilegia noſtra: Sed ille in cœlo (nam inde expectatur). Relinquitur ergo & ibi noſtrum haberi πολίτευμα. Quo quidem argumento etſi etiam utatur Cocc. l. cit., tamen eo ipſo clam favet ſuæ hypotheſi, cujus ſumma, Chriſtum in cœlo tanquam in loco contineri. Nos verò minorem neutiquam excluſivè accipimus, ut qui cum Eccleſia orthodoxâ confitemur, ita Chriſtum hominem eſſe in cœlo, ut tamen ſalva maneat ipſius præſentia in terris. Verbi ἀπεκδέχεσθαι ſignificatio eſt vel propria, 1. Sam. 10, v. 8. Luc. 1, v. 21. Act. 10, v. 2. exprimens deſiderium creaturæ rationalis, vel impropria (α) pro deſiderio creaturæ irrationalis, ſeriò & ardenter expetentis liberationem à ſervitute hujus ſeculi. Quo ſenſu ab Apoſtolo Rom. 8, v. 19. dicitur ἡ κτίσις ἀποκαραδοκοῦσα quaſi exerto capite ſeu intentis oculis ſolicitè ſui redemptionem expectans (β) pro dilatione ſermonis vel conſilii, Job. 32, v. 4. & 16. cap. 29, v. 21. (γ) pro patientia 1. Petr. 3, v. 20. Ad Hebr. 10, v. 13. (δ) pro ſpe fruſtraneâ Eſ. 5, v. 2. 4, & 7. (ε) pro ſpe conjuncta cum fiduciâ: ſic David quotidie i. e. indeſinenter Pſ. 25, v. 5., absque tremore Pſ. 27, v. 14. & absque formidine ſub certâ perſuaſione auxilii divini confidebat acquieſcebatque in DEO ſuo tanquam clypeo ac propugnaculo inexpugnabili ibid. quæ expectatio ſuo modo etiam includit effectum fidei proprium, quæ futura nobis præſentia reddit. Ita fideles ſub V. T. exſpectabant ſalutem gentium. Teſtem habemus Jacobum Mortivicinum Gen. 49, 18: imò omnes fideles à primô Chriſti adventu anxiè deſideravere conſolationem ac redemtionem Iſraëlis Luc. 2, v. 25. & 38. Spem vitæ & felicitatis æternæ, in ipsô collocantes. Et hac ratione Apoſtolus cæteriq; fideles in noſtro textu exoptant adventum Chriſti, non primum,

ſed

ſed ultimum; cum gaudio geſtiunt uniri cum bono appetitum eorum ſubinde ciente, quod ille adventus liberationem plenam ab omni malo, præterea reſtitutionem filiorum Dei in hæreditatem ipſis partam, juſtam pietatis retributionem, verbo, perfectam bonorum omnium communicationem afferet.

§. 6. (σωτῆρα) *Salvatorem.* Erant & Gentilibus Salvatores, Dii puta ex ligno, lapide, auroque fabricati; præ omnibus aliis tamen nomen Salvatoris Principi Deorum Jovi tribuebant, teſte Ælian. Var. Hiſt. lib. 1. c. 30. Nilus etiam ab Heliod. lib. 9. Æthiop. Hiſt. σωτὴρ Αἰγύπτου vocatur. Nec minus Scriptura celebrat Salvatores ſeculares, armis hoſtes ſuos ſuperantes, gentemq; judaicā â jugô ſervitutis liberantes; cujusmodi erant Athniel Jud. 3. v. 9. Ehud. ibid. v. 15. Samgar ib. v. 31. Porrò hoc vocabulum etiam accommodatur in genere omnibus tribus Deitatis perſonis; atque tum importat liberationem â malo temporali & ſpirituali, confer. Deut. 32. v. 15. Pſ. 27. v. 1. Pſ. 62. v. 2. 3. Pſ. 79. v. 9. Hab. 3. v. 17. χαρήσομαι ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου. Propriiſſime autem titulus *Salvatoris* Domino noſtro Jeſu Chriſto competit, quoniam ille omnes homines ab irâ Dei, perditione, peccatis, morte æternâ, à Principe hujus ſeculi ad cognitionem veritatis, regnum Dei cœleſte, hæreditatem vitæ æternnæ & ζωοποίησιν ἐν τῷ Χριστῷ per ſanguinem & mortem ſuam liberavit; incredulos quidem, quoad meritoriam æternæ ſalutis acquiſitionem & ſalvificam, mediis divinitus præſtitutis & ab hominibus ipſis non ſpernendis, incluſam intentionem; electos verò quoad actualem ſalutis exhibitionem & exhibitæ ſalutarem acceptationem & perfruitionem. Ut adeò vana ſit Reformatorum Dd. exceptio; Chriſtum ſolorum Electorum reſpectu dici Salvatorem &, ſi detur locus, uti omnino datur, ubi incredulorum Salvator dicitur, eum de conſervatione temporaria accipiendum eſſe. Sed contra obſervamus, ubicunq; in N. T. J. C. appellatur noſter Σωτὴρ, ibi primariò intelligi ſalutem æternam, non tamen excluſâ temporali. Hoc ſenſu proinde textus noſter Chriſtum etiam nuncupat Σωτῆρα, quoniam fidelibus civitatem cœleſtem ſuo meritô acquiſivit.

§. 7. (Κύριον.) Multis diverſiſſimisque ſubjectis nomen

de quo in præſens agimus, aſcribitur in ſacris literis. Sic Angeli Dan. 10. v. 16; Pii. Geneſ. 23. v 6; Reges 2. Chron. 2. v. 14; Victores plurium Populorum Eſ. 47 v. 5; Patres Geneſ. 31. v. 35; Præceptores, 2. Reg. 2. v. 3. & 5; Mariti Jud. 19. v. 26. 27; Primogeniti Gen. 32. v. 4. & 5; Patres familias Marc 13. v. 35. hoc elogiô ornantur ob excellentiam naturæ, dona ſingularia, majeſtatem, victoriam, autoritatem, doctrinam, domeſticam poteſtatem, & jus primogenituræ. In eminenti v. ſignificatu hôc titulô inſignitur Deus glorioſus: indeque rectè ex iſto pro Divinitate Chriſti contra Socinianos concluditur, idq; eò magis, quoniam ipſe Socin. in Refutat. tract. Wiecki & Bellarmini de divinitate J. C. cap. 6. argum. 2. p. 595. & 583; item Enjed. de princ. Joh. p. 160. concedunt, nomen κυρίου, quum verum Deum indicat, ſine articulo, quando alia ſuppoſita notat, cum articulo efferri. Jugulabimus enim ipſos propriis armis, ſubſumentes; Atque hoc loco vox κύριος ſine articulo ponitur; ſtabit ergò concluſio, J. C. è cœlo exſpectandum verum Deum eſſe. Accedit, intelligi ejusmodi Dominum, ſupra quem nullus alius, qui dominium ſuum in cœlum & terram, in omnes thronos, poteſtates, dominatus, Reges, imò in omnes creaturas exercet; Dominum Dominorum, voce geminata, non hyperbolicè ex vanæ & inſanæ magnitudinis perſuaſione, nec Synecdochicè in reliquorum Regum comparatione, ſed re & nomine talem propter Oecumenicam & ad omnes principatus terrarumque angulos ſe porrigentem poteſtatem.

§. 8. (Ἰησοῦν.) Trium Script. S., videl. Joſuæ olim Moſis famuli, Populi Iſraëlitici Ducis Actor. 7. v. 45, Jeſuæ magni Sacerdotis Hag. 1. v. 14. nec non Eccleſiaſtici, facit mentionem, quibus nomen Ἰησοῦς ob præfiguratum triplex officium Chriſti impoſitum fuit. Ut adeo fallantur Reuchlin. de verbo mirif. & Flac. p. 2 Clav. Script. fol. 361, putantes, nomen Jeſus eſſe tam excellens, tam ſublime, ut iſtud nec homines mereantur nec Angeli. Omnium autem convenientiſſimè Filio Mariæ, unigenito Dei Nato tribuitur, cui etiam ab Angelo ante nativitatem ipſius inditum, Matth 1. v. 21; additâ ratione, quoniam ſalvaturus erat à peccatis populum ſuum (non ſolos electos) quoniam ſuo merito eſt ſalvator omnium hominum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

num Joh. 4. v. 42. ejuſque efficaci applicatione etiam quam plurimos convertit, qui tamen poſt propriâ ſuâ culpâ reſiliunt ſibique damnationem attrahunt, Luc. 8. v. 13. ad Hebr. 6. v. 4, 5 & 6. Poterat v. alicui ſuboriri dubium, quaſi Apoſtolus tautologiam hic committeret. Dixerat enim pauló ante, è cœlo Salvatorem exſpectandum eſſe, & ſtatim ſubjicit, J. C. Jam notum eſt, Salvatorem & Jeſum non magis differre quam enſem & gladium: ſed videtur ſaltem tautologicè loqui, in rei veritate enim diſtinguuntur duo iſta vocabula, nec plane ſunt Ἰσοδυναμοῦντα. Vocabulum enim Jeſus complectens totam θεανθρώπου perſonam & officium θεανδρικὸν eſt ſolius Chriſti nomen proprium, de quo proinde nec Pater nec Spiritus Sanctus participant; at σωτὴρ noſter & Deus Pater & Spiritus Sanctus appellantur Tit. 3. v. 4. Hinc notanter Apoſtolus Σωτῆρα præmittit voci Jeſus eique annectit verbum ἀπεκδεχόμεθα; ut ſit ſenſus: E Quo Salvatorem exſpectamus, Quem? non Patrem, nec Spiritum S., ſed Jeſum Chriſtum.

§. 9. (Χριστὸν) Non χρηστὸν, i. e. *Bonum*, prout Veteres quidam Gentiles vocem hanc pronuntiarunt, teſte Juſtino Martyre Apolog. 2. & Lactant. lib. 4. Inſtitut. cap. 7. Uſu Eccleſiaſtico eſt cognomen Jeſu, unde ei etiam poſtponitur, non tamen ſemper Vide 1. Corint. 1. v. 2. Philip. 4, v. 7. Denotat vero *unctum*: at qualem? nam & corpora defunctorum unctione apud Ægyptios Orientales cumprimis magno condiebantur pretio, Geneſ. 50. v. 2. & 3. & viventes iſtâ publicæ lætitiæ cauſa ſe exhilarabant ac ornabant, Ruth. cap. 3. v. 3. 2. Sam. 14. v. 2. 2. Reg. 4. v. 2. Res itidem cultum divinum ſpectantes oleo perfundebantur, Exod. 30. v. 26. & 27. Ægrotantes iſto, miraculoſe Deo cooperante, ſanitati reſtituebantur, Marc. 6. v. 13. Iac 5. v. 14: ulterius Sacerdotes Exod. 29. v. 7, Prophetæ 1. Reg. 19. v. 16., Reges ibid., unctione ad ſacratiſſima munera obeunda conſecrabantur. Qualis autem unctio, à quâ nomen Chriſti ampliſſimum oritur? Singulariſſima eſt, communicatio nempè realiſſima infinitæ perfectionis ſine ulla confuſione in tempore facta. Unxit enim Deus Pater (non tamen excluſis perſonâ unctâ & unguento) Filium ſuum ab æterno genitum juxta naturam, in qua

nos illi ſumus ſimiles , Spiritu Sancto cum immenſâ divinorum ἀυχημάτων plenitudine , intellige, poteſtate divina effundendi Spiritum Sanctum κατὰ μέτρον, ſublimitate , gloriâ, omnipotentiâ , omniſcientiâ, omnipræſentiâ, ordinatione divinâ ad poſſidendum thronum maieſtaticum, ex quô ipſum virgo caſtiſſima in utero concepit. Confer B. Dorſch. Illuſtris quondam Acad. Pat. Luminis Pentadec. diſp.2. p. 73.

§. 10. (ὅς μετασχηματίσει) De pronom. relat. ὅς, cum lis nulla moveatur, nos etiam in ſimplicitate literæ acquieſcentes quædam obſervabimus, quæ verbum μετασχηματίζειν ſpectant. Primâ fronte autem ingens interpretationum varietas noſtris ſe ſiſtit oculis. Verſio Æthiopica non rectè aſſecuta ſenſum dicti hujus paſſivè interpretata eſt vocem μετασχηματίσει, hunc in modum; *qui transformatus eſt:* ubi mutatis tempore & genere longe diverſus à mente Apoſtoli ſenſus infertur. Non verò tantùm hâc voculâ abludit à ſcopo Apoſtoli, ſed & in reliquis iſtis: *in corpore noſtro humili, & induit gloriâ ejus corpus noſtrum, ſicut adjutorio ejus, ut ſibi ſubjiceret omnia.* Ex his apparet, ingenti errore Interpretem Æthiopicum lapſum eſſe. Sed de eo ſatis: videamus & reliquas Verſiones. Arabs habet *mutabit*; Syrus per quam egregiè, *transfigurabit*, quem ſequitur etiam Piſcator; Eraſm. Tirin. Beza legunt *transformabit*; Tremell. *transmutabit*; Walton. l. c. *reformabit*. Ex his verſionibus ſi optio daretur, eligeremus ipſam Syri & Piſcatoris convenientem quàm maximè textui analogamq; vocabulo germanico Verklären; licet reliquas verſiones juſtâ admiſſâ explicatione non repudiemus. Nobis tamen interpretatio Syri præ ceteris vel ideo probatur, quod plenius, quam illæ, & diſertius rem exprimit. Si enim quis audit *mutationem*, *transmutationem* , *transformationem*, primô obtutu non ſatis percipit, quâ de mutatione ſermo ſit. Ceterum quoniam & in foro phyſico vocabulum *transfigurationis* uſu venit, omnes ambiguitates offendes enucleatas in diſſertatione erudita Cl. Thomaſii Philoſ. Lipſ. de transformatione hominum in bruta. In ſacris nunc improprie accipitur vel de pſeudo Apoſtolis, veros Chriſti Legatos mentientibus, 2. Cor. 11 v. 13, vel de Satanâ habitum Angeli lucis aſſumente ibid. v. 14 vox iſta adhibetur; nunc

mutatio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

mutationem ſeu renovationem mentis noſtræ notat, ut Rom. 12. v. 2, vel corporũ mortalium reformationem, accidentalem tamen, non ſubſtantialem, ut quam reſpuunt tum vocabulũ primitivum σχῆμα, denotans conditionem ac ſtatum rei alicujus 1. Cor. 7. v. 31; tum propria hujus vocis acceptio; vocabula item ipſi æquipollentia. Et ſi ſubſtantialis innueretur mutatio, ſecuturum eſſet abſurdum illud, quod Chriſtus in monte Thabor ſubſtantialiter transformatus, Matth. 17. v. 2. novaque gloria corpus ejus poſt reſurrectionem ſubſtantialiter ornatum fuerit. Manet proinde, intelligi ſolam transmutationem accidentalem, qua idem corpus, eadem membra (ſine tamen defectu: quod notamus, contra Zanch. illimitatè hic loquentem) Beatis reddentur, ſed ſub aliâ conditione ac qualitate, ſub alio ſchemate.

§. 11. (Σῶμα) *Corpus*, (non *Anima*, Confer. Cocc. l. c.) Per quod h. l. non intelligimus hominem veterem ſpiritui repugnantem, ut Rom. 8. v. 10. & 13., Colos. 1. v. 11.; nec conſociationem plurium hominum arctiſſimo vinculo inter ſe unitorum; quomodo fideles inter ſe ad Roman. 12. v. 5; Judæi item cum gentibus unum corpus ſunt mediante Chriſtô Eph. 2. v. 16; nec vitam & actiones humanas, ut Matth. 6. v. 22. & 23: ſed alteram hominis eſſentialem partem. Cujus materia fuit pulvis terræ, Gen. 3, v, 19: quam terram Hieron. Lyran. Hugo de S. Caro, Alphonſus de Toſtato rubram fuiſſe conjiciunt, inducti præ ceteris voce אדמה, quæ à Rad. אדם *rubuit* vel *ruffus fuit*, deducitur. Non verò, quod quidem Alphonſo placet, corpus humanum per modum ſtatuæ luteæ primum ab Angelis formatum fuit, quæ deinde à Deo ornata membris ceterisque ad internam ejus conſtitutionem pertinentibus; à quo errore non multum quidam Scholaſticorum abeunt; Etenim, ut alia taceamus in commoda, quibus illa ſententia premitur, actus hic corporis humani formatorius hiſtoriæ creationis maniſeſto repugnat; quod unum ad eum refellendum ſufficit. Conditum vero eſt corpus, ut eſſet domicilium animæ, quæ per organa corporis munera exſequeretur ſua & inhabitatione domũ nobilitaret propriam ac vivificaret. Hoc ergò corpus ex pulvere ortum, transfigurandum erit.

§. 12.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

§. 12. (Τῆς ταπεινώσεως.) *Humilitatis.* Ita Syrus; vel *humile*, ut habet Eraſm. Piſc. Beza: accidit enim ſæpe, ut poſterius ſubſtantivum loco adjectivi ſit: adeoque idem eſt, ac ſi dixiſſet Apoſtolus τὸ σῶμα ταπεινωτὸν, Glaſſ l.c.l.3.tr.2.p.35. Innuit autem Apoſtolus hâc voce abiectam, vilem & contemtam humani corporis conditionem, clarius 1 ad Cor. 15. v. 42. & 43. expreſſam. (Obiter nota, Ravan. in notis ad hanc vocem putare, quod nunquam iſta veniat in Sacris pro ſummiſſione animi, inde vocem ταπείνωσιν ab Evangeliſta Luca adhibitam cap. 1. v. 48. de abjecto viliq; Mariæ ſtatu exponit. At quid prohibet, alteram ſignificationem hic quoq; admittere? certè Deus non paupertatem Mariæ tantum reſpexit, ſed cumprimis ſummiſſio animi ipſius grata ei acceptaque fuit.) Alibi corpus hoc vocatur ἐπίγειον Gen. 3. v. 19, domus lutea Iob. 4. v. 19, corpus miſeriis omnis generis, Sirac. 40. a v 1 usq; ad 11, morbis & morti obnoxium Eccl. 12. 7. Origo v. hujus humilitatis inſolidū lapſui debetur Adamitico Ex quo n. Protoplaſti de fructu vetitæ arboris comedere, eſū iſtū infelicem confeſtim humiliatio inſecuta eſt. Humiliata anima, infecta nempe peccato, obſcuratus intellectus, depravata voluntas cū appetitu ſenſitivo. Et ſanè corporis ταπείνωσις nō minima; adeſt peccatum originale & actuale ſatis abjectum illud in oculis Dei reddens; adſunt defectus naturales tum communes ex ipſa neceſſitate naturæ à ſtatu integritatis dejectæ fluentes, frigus, æſtus, defatigatio &c, tum particulares ſeu perſonales ex cauſis orti particularibus, ſcilicet vel à vitio δυνάμεως πλαστικῆς in generante, ut phtiſis, arthritis &c, vel ex inordinato vitæ regimine, vel ex aliis quibusvis principiis, ut morboſitas, aut organi alicujus corporei læſio &c. Hæc omnia ſatis luculentū de humilitate corporis teſtimonium perhibent. Quid ſi ad huc dictis fidem denegas, prodeat mors, certiſſimus ταπεινώσεως index; quam primum enim anima ſuum reliquit domicilium, ſuccedunt fœtor & vermes. Hinc noti verſiculi:

Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror.
Sic in non-hominem vertitur omnis homo.

§. 13. (Εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον) Primò notanda occurrit lectio Antiqui cujusdam Mſcr, quod pron. ἡμῶν, omiſſis vocabulis intermediis, immediatè connectit cum voce σύμμορφον.

Deinde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Deinde quod ad conſtructionem attinet, notum, ferre Græcorum conſuetudinem, ut præpoſitio ſæpiſſime infinitivo præponatur. Quantum ad verſiones, Syrus reddidit: *ut fiat in ſimilitudinem*; Arabs: *quatenus illud ipſum fiat æquale*; Vulgatus: *configuratum*; Walton. *adeſſe illud configuratum*; Cæterum *conformatio* illa h. l. non eadem eſt atque *accommodatio* Pſ. 119. v. 85; ſed reſpondet aſſimilationi ratione qualitatum: quà ſubſtantiam enim Chriſto jam tum ſimillimi ſumus. Et ſanè idem videtur probare ſignificatio primitivi μορφῆς, quæ vox ad Phil. 2. v. 6. de Filio Dei uſurpata non notat præciſè ac formaliter ipſam divinam eſſentiam, ſed ſtatum Majeſtatis divinæ; id quod ibidem v. 7. declaratur ex oppoſito, μορφῇ nempe δούλου, per quam non immediatè eſſentia humana, ſed conditio humiliationis humanæ indicatur: quam proinde ſignificationem primitivi neceſſario ſervat & inde deſcendens derivativum.

§. 14. (Τῷ σώματι.) Quo vocabulo h. l. non indigitatur Eccleſia, myſticum illud Chriſti capitis corpus, 1 ad Cor. 12. v. 27. Eph. 1. 23; nec Synechdochicè tota humana Chriſti natura 1. Petr. 1. v. 24. Sed propriè corpus Chriſti naturale, operatione Spiritus St. effectum. Ipſe enim maſſam illam, quam de Mariæ carne & ſanguine in iſta conceptione Filius Dei aſſumpſit, ita ſanctificavit & mundavit ab omni peccati labe, ut ſanctũ fuerit quod natum ex Maria, Luc. 1. v. 35. Non ergò Filius Dei per virginem Mariam tanquam per canalem aut fiſtulam ſine ullâ de illâ aſſumpta carne tranſiit, nec etiam putativum ſaltem ac phantaſticum, divinum item, aut ex materia ſiderea, cœleſti vel elementari formatum obtinuit corpus, ſed id ſibi in unitatem perſonæ copulavit, quod eſt noſtro corpori planè ὁμοούσιον. Nec obſtant infirmitates, quibus noſtrum ſcatet corpus. Diſtinguendum enim probè eſt inter perſonales & naturales defectus; Hos etſi declinare poterat Chriſtus tanquam pœnas neceſſariò peccatum concomitantes, tamen propter nos & noſtram ſalutem ἀσθενείας illas, quibus natura noſtra propter peccatum neceſſitate conditionis onerata eſt, volens ſibi appropriavit, ut nos ab iis liberaret, indeque victima facta pro peccatis noſtris liber interim à defectibus moralibus nec non perſonalibus Ex his omnibus ergò liquet veritas Corporis Chriſti noſtro ὁμοουσίου

(Salvis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

(Salvis interim manentibus perfectionibus ſingularibus) iisdem paſſionibus ſubjecti (quamvis cum diſcrimine, ſicut hactenus docuimus.) Sed verò idem illud corpus ante humiliatum (intellige in ſtatu exinanitionis) mutatâ formâ ad dextram Dei collocatum & gloriâ maxima donatum eſt

§. 15. (Τῆς δόξης) Latere hic Enallagen Subſtantivi pro Adjectivo, de quô paulo ante, advertere quoq; Piſcator & Beza, hinc adjectivè vocem δόξης interpretati ſunt. Ceterum quid apud Profanos notet ex lib. 4. Ethicorum Ariſtot. cap. 9. §, 2. & lib. 6. cap. 9. §. 5. colligere licet. In ſacris accipitur (α) pro magnifico ornatu ac præſtantia Exod. 28. v. 2. & 40. Eſ. 4. v. 2. (β) Pro fama laudeque tum præclara 2. Cor. 6. v. 8. Apoc. 4. v. 9; tum inani (κενοδοξία aliàs dicta) Phil. 2. v. 3. (γ) Pro collatore gloriæ Pſal. 3. v. 4. & 62. v. 8. (δ) Pro condecorato gloriâ & honore Eſ. 4. v. 5. 2. Petr. 2. v. 10. (ε) Pro eſſentia & majeſtate divinâ Exod. 33. v. 18. & 22. Deut. 5. v. 24. (ζ) pro ſplendore ſeu claritate corporum glorificatorum, eaque vel mutuatitiâ 1. Cor. 15. v. 41. & 42. vel propria, quæ hujus loci. Nunc quæritur, num gloria carnis Chriſti infinita fuerit, an ſecus? Ad hoc ℞ Duplicem eſſe carnis Chriſti gloriam; alteram poſſidet beneficio unionis perſonalis & hæc increata infinitaque, λόγȣ propria, at ut dictum carni Chriſti, mediante Incarnatione, tributa communicataque; alteram verò ipſi contulit reſurrectio, vi cujus mirabiliter locupletatum eſt Chriſti corpus donis, ornamentis ac perfectionibus corporum glorificatorum, & hæc gloria finita & creata eſt. Quam etiam hic videtur attendere Apoſtolus; eam enim intelligit gloriam, cui conformandum eſt corpus noſtrum humile, illa verò non eſt infinita, ſed finita.

§. 16. (Κατὰ τὴν ἐνέργειαν) *Pro maximâ virtute ſuâ* Syrus; *per efficacitatem* Arabs; *ſecundum vel per operationem.* Tirin; *pro efficacitate*, Beza; Quamlibet ex his Verſionibus eligere per nos licet. Pergimus ad ipſas enucleandas voces; ubi primò occurrit præpoſitio κατὰ, varias admittens ſignificationes, quas vid. apud Glaſſ. l. c. l. 3. tr. 6. c. 75. Hoc loco idem

eſt

eſt ac ſecundum. Vox ἐνέργεια non denotat h.l. efficacitatem V. D., quam præſtat in convertendis & redarguendis hominibus, Hebr. 4. v. 12; nec exercitium fidei per opera charitatis, Galat. 5. v. 6; neque ardorem precum fidelium, Jac. 5, v. 6; non potentiam Satanæ, quâ excitat Anti-Chriſtum, 2. Theſſ. 2. v. 9; non efficaciſſimos errores, quos Deus juſtiſſimo judicio ob antegreſſam veritatis rejectionem Antichriſti cultoribus immittere dicitur. 2. Theſſ. 2. v. 11; nec denique occaſionem opportunam ad promovendam Dei gloriam, Eccleſiæ ſalutem, aliasque res magni ponderis conficiendas: ſed ipſam omnipotentiam Dei ſemper actuoſam, identificatam cum eſſentiâ divinâ, Chriſto competentem non ſolum quâ divinam naturam, utpote cui virtus divina reformandi corpora mortalia ex ſe competit; ſed etiam juxta naturam humanam, cui vis illa conformatrix per & propter unionem perſonalem communicata eſt.

§. 17. (Τȣ̃ δύνασθαι αὐτὸν.) i. e. Εἰς τὸ δύνασθαι, quomodo τȣ̃ ſæpè ſumitur in epiſtolis, annotante Grot. ad h. l. Syrus nullam facit mentionem hujus vocabuli in ſua interpretatione; Arabs legit: *quam poteſt*; Eraſm. Bez. Piſc. *qua poteſt*; Walton. *poſſe eum*. Quod ad veram ſignificationem; exprimitnr voce δύνασθαι non nudum velle, Matth. 16. v. 3. Marc. 3. v. 23; ſed ipſa aptitudo, potentia ac facultas agendi conjuncta cum jure ipſi competente. Dicitur aliàs δύναμις, quam quidem humanæ naturæ denegant Reformati, nixi frivola diſtinctione ἐξȣσίας καὶ δυνάμεως; ſed præterquam, quod δύναμις & ἐξȣσία alibi conjungantur & Filio hominis tribuantur Luc. 4. v. 36. cap. 9. v. 1. Epheſ. 1. v. 21. 1. Petr. 3. 22, nec hic locus refragatur. De Chriſto enim conſtante divinâ & humanâ naturâ dicitur, eũ poſſe ſibi ſubjicere omnia. Q. igitur poteſt ſibi ſubjicere omnia, illum etiam δύναμιν poſſidere neceſſe eſt. Conſequentiam claram reddit natura conjugatorum. Sed Chriſtus Deus & homo poteſt &c. E.

Minorem quâ prius membrum facillime largiuntnr adverſarii; qua alterum, probat eam unio perſonalis cauſa communicationis propriorum divinorum.

§. 18. (Καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ.) Arabs vertit: *Et illi ſubjiciuntur*; Syrus: *Ei ſunt ſubjecta*; Vulgatus optimè: *Etiam ſibi* C *ſubjicere*;

ſubjicere; Conſentit Germanica & Belgica Verſio. Neminem autem offendat lectio Verſionum Arabicæ & Syriacæ, quæ pro pronomine Reciproco ſubſtituere Relativum, forſan ad manus Autoribus earum fuit Mſc. legens αὐτῷ pro ἑαυτῷ, cujus meminit Walton. l.c. Cœterum verbum *ſubjicere* vel paſſivè capitur, quomodo Eccleſia ὑποτάσσεται τῷ χριστῷ. i.e. Regimini ejus tanquam capitis ſui ſe permittit Epheſ. 5. v. 24; item quô pacto juniores ſenioribus ſe ſubjiciunt, eos honorando 1. Petr. 5. v 5; Liberi Parentibus, iis obtemperando Luc. 2. v. 51; Uxores Viris, eos pro capite agnoſcendo, 1. Cor. 14. v. 34; Fideles Miniſtris Eccleſiæ, dociles ſe iis præbendo 1. Cor. 16. v. 16; Subditi Magiſtratui, ſolvendo ipſi timorem ex animo proficiſcentem, honorem infucatum, vectigal & tributum debitum, Rom. 13. v. 1. 5. 6. 7: vel Activè, quomodo Chriſto accommodatur, & quidem juxta humanam naturam conſiderato. Confer. Pſ. 8. v. 7. 8. 9. Hebr. 2. v. 8. Epheſ. *1*. v. 22; Et denotatur iſtâ phraſi ſumma poteſtas, autoritas, dominium, & imperium, quod Chriſto commune cum Patre quâ Deus, quâ homo verò ad iſtam à Patre evectus ſublimitatem proxime attingit thronum divinum, ita tamen, ut adhuc juxta naturam humanam ſit ὑποτεταγμένος τῷ Πατρί Confer. B. Dorſch. p. 2. Theol. Zach. diſput. 7. n. 8. p. 257.

§. 19. (Τὰ πάντα,) *Omnia*; nota univerſalitatis abſolutæ complectitur ſuo ambitu omnes Angelorum myriades, omnes ſpirituum Beatorum choros, qui â Chriſto θεανθρώπῳ etiam juxta humanam naturam, poſt ejus in infinitam divinam τοῦ λόγου aſſumptionem & ad thronū cœleſtem elevationem dependent, ejusq; irrefragabile imperium ſponte ſubeunt; omnes res nominabiles & effabiles, ſive in hoc, ſive in futuro ſeculo; omnes Principatus, Dominatus & Poteſtates; omnes Creaturas, quarum integrum catalogum recenſet Pſ. 8, v. 7. 8. & 9: loquitur enim Apoſtolus ſine reſtrictione. Non ergò ſoli illi ſubjiciuntur imperio Chriſti, qui Eccleſiæ inſerti ſunt, quæ aſſertio Socini ad negandam Chriſti Divinitatem: Scopus enim Apoſtoli eſt, potius ampliare quam coarctare Majeſtatem Chriſti. Gubernatio proinde & Regni potentiæ h. l. intelligitur. Denique nec hoſtes detrimentum Regno gratiæ afferentes hic omittendi, nam & hi juxta Pſ. 110. pedibus ejus ſubjecti ſunt, ipſeque in ſpecie poſt

gloriosam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

glorioſam ad dextram Patris ſeſſionem caput ſerpentis contrivit, Gen. 3. v. 15; de mundô triumphum egit Joh. 16. v. 33. Mortemque, ultimum hoſtem, abolevit, 1. Cor. 15. v. 26.

SECTIO II.

Συνάφειαν ſeu Connexionem Textus cum præcedentibus & ſimul Analyſin ejus Logicam continens.

§. 1.

CUm videret S. Apoſtol9, quid quotidie Diſcipuli ac Sectatores legis Moſaicæ per Chriſtum jam tum abolitæ molirentur, non poterat ipſi ignotum eſſe, quæ temporibus ſequentibus incommoda in Eccleſiam hinc eſſent redundatura; quare inſtar ſapientis Medici remedium huic malo, invenire cogitans, toto hoc capite propoſitum habet, ſuis veram rationem Chriſtianiſmi inculcare, id quod eo facilius effici poterat, difficultatibus, propriâ ſc. juſtitiâ & ſecuritate Auditores à vera viâ revocantibus, remotis & præſcripta piè & honeſtè vivendi methodô. Hinc in duas partes commodè totum dividi poteſt caput, quarum prior duobus abſolvitur membris. Primum continet dehortationem â faſtu Phariſaico à v. 1. usque ad 11. Occaſionem dehortationi dabant Pſeudo-Apoſtoli, qui multum jactabant de juſtitiâ legis, delectabantur ſuis operibus, inque iis ſalutem quærebant, fontem vitæ prætereuntes. Noxiæ huic ſententiæ Apoſtolus, præmiſſâ tranſitione in epiſtolis uſitatâ ultroque dicendorum ratione factâ, argumentis variis occurrit; quorũ (I.) deſumit à conditione ac qualitate urgentium circumciſionem & intolerabilia alia v. 2. (II.) A veræ conſequendæ juſtitiæ ratione, non excluſâ mentione falſæ juſtitiæ, v. 3. (III.) Ab exempli ſui claritate, tum in genere, factâ collatione â majori ad minus, v. 4; tum in ſpecie quatuor enumeratis prærogativis, de quibus gloriari poterat. Erat enim Religione Circumciſus, Genere Judæus, Profeſſione Phariſæus, ratione vitæ denique ſtrenuus legis Obſervator & κατὰ δόκησιν Sanctiſſimus, v. 5. & 6. (IV.) A repudio juſtitiæ legalis & confidentiæ in carne v. 7. & 8, dum vocat opera legalia ζημίαν καὶ σκύβαλα, quaſi κυσίβαλα, relinquenda canibus rabioſis juſtitiam Chriſti

& gratiam divinam allatrantibus, (V). A diſtinctione & deſcriptione utriusque juſtitiæ, tum Phariſaicæ, tum Evangelicæ, v. 9, cujus ultimæ cauſas tum impellentes, internam & externam, tum inſtrumentalem ratione objecti v. 10, & finalem v. 11, recenſet. Nos dehortationem hanc Apoſtolicam uno complectamur argumento, ita videlicet terminos colligentes.

Q. juſtitia à malis operariis Christi juſtitiam evertentibus docetur; de qua gloriatio coram judicio divino inſtitui nequit; quæ porrò ab Apoſtolo non defenditur, ſed potius improbatur ac rejicitur; imò caret omnibus notis ad veram juſtitiam in Chriſto requiſitis; illa maximopere cavenda.

Juſtitia legalis talis. E.

Alterum membrum dehortationis agit de fugienda ſecuritate Epicuræa, quæ prohibebat ſolidam ſectari pietatem à v. 12. usque ad 17. Scilicet audierant Philippenſes, Apoſtolum refutantem juſtitiam ex lege ritibusque Moſaicis quæſitam; audierant, juſtos homines coram tribunali divinô reputari propter obedientiam alienam fide apprehenſam: Nunc facilè evenire poterat, ut charybdin vitaturi in ſcyllam inciderent, vel, clarius loquendo, ut intermitterent ſtudium novæ obedientiæ; quapropter Apoſtolus mediam eligit viam, docens, licet meritis juſtitiam nemo ſibi acquirere poſſit, interim tamen plane non eſſe inhibendum curſum benè inceptum, quo minus feliciter abſolvatur. Fundat autem dehortationem ſuam, provocando ſemper ad proprium exemplum, (I.) In perpetuo ſcrutinio ac indefeſſa ſectatione cognitionis, reſurrectionis & communionis afflictionum Chriſti v. 12. & 14. collatis cum v. 10. (II.) In nativæ imbecillitatis agnitione & confeſſione v. 13. (III.) In oblivione bonorum terrenorum & carnalium deſideriorum v. 14 (IV.) In proficiendi deſiderio & cupiditate v. 15. (V.) In regulæ Chriſtianæ communione v. 16; ita colligens:

Q. Indigent quotidiano ſcrutinio & perpetua imitatione cognitionis, reſurrectionis & communionis afflictionum Chriſti, quam nequeunt conſequi, niſi incedant juxta canonem in verbo revelatum, nondum perfecti facileque retrahibiles mediantibus voluptatibus mundanis à ſtudio bonorum operum, deſiderantes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

tes undiquaque conſummatam perfectionem, illos non decet ſecuram agere vitam & retrogredi in ſtudio pietatis benè incepto:

Sed Philippenſes renati &c. E.

§. 2. Pars altera, in quâ dictum noſtrum occurrit, eſt Exhortatoria â v. 17. usque ad 10. Cap. 4. ad pietatem & honeſtatem. Ad harum virtutum exercitium Auditores ſuos invitat Apoſtolus (I.) ſuum exemplum Philippenſibus proponendo, conjunctis modeſtiæ cauſa συνεργοῖς, ſibi ὁμοψήφοις in fide, in vitâ, & in caritate v.17 (II.) A contrario rem illuſtrando, ſiſtendo Pſeudo-Apoſtolos etiam ambulantes, ſed malè, hoc eſt, viam eligentes in ſermone & opere Doctoribus ſinceris maximè contrariam v. 18; Hos deſcribit nunc tum ratione doctrinæ, annihilant enim virtutem meriti & crucis Chriſti, immiſcentes opera ſua v. 18; tum ratione vitæ. Φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, φρονοῦντες τὰ ἐπίγεια; tum ratione exitus, qui horribilis v.19. Manet enim iis ἀπώλεια, involvens non ſolum privationem rerum delectabilium in hoc ſeculo, ſed etiam excluſionem â vita & felicitate æternâ. (III.) Studium pietatis urgendo à dignitate civium cœleſtium v.20; hunc in modum ferè argumentaturus:

Quotquot aſpirant ad ſummum gradum pietatis ipſis poſſibilem, ſequantur me eorumque exemplum, qui mecum pari paſſu in via veritatis ambulant; bene perpendant terribilem hoſtium crucis Chriſti delitiiſque terrenis deditorum exitum; deniq; ita ſuas inſtituant actiones cogitationesque, prout dignitas eorum tanquam civium cœleſtium id requirit:

Atqui vos Philippenſes &c. E.

§. 3. Digreditur verò hìc Apoſtolus data materia, & paulo dilucidius v.21. ſtatum Patriæ Civiumque cœleſtium exponit, quò eo magis in ſuas partes trahat Philippenſes. Siſtitur autem (I.) transfigurationis corporum civium cœleſtium principium cauſale tum Quod, cui principaliter transfiguratio corporum glorificatorum tribuitur, & eſt Salvator J.C. è cœlo exſpectandus; tum principium Qvo, quod eſt omnipotentia, hâc enim mediante Chriſtus transfiguraturus eſt corpora noſtra humilia; ad hanc autem deſcribendam ele-

 ganti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

ganti utitur περιφράσει. (II.) Subjectum, in quod tendit cauſali-tas, & eſt corpus noſtrum, conſideratum tum ratione termini A Quô, qui eſt humilitas, tum ratione termini Ad Quem, qui eſt glorificatio (III.) Modus transformationis, qui conſiſtit in conformatione corporum electorum ad Chriſti corpus, cui tanquam archetypo ſunt aſſimilanda.

SECTIO III.

Poriſmata quædam ex textu deducens.

Poriſma I.

Glorificatio corporum fidelium in reſurrectione certò futura eſt.

§. 1. Priusquam τὸ τί ἐστι glorificationis corporum explicemus, non ſine ratione in anteceſſum de ejusdem τῷ ὅτι aliquid monendum erit, & quidem probandum: datum iri glorificationem corporum fidelium reſurrectorum. Fruſtrà namque inſtitueretur totus de hâc materiâ diſcurſus, niſi ante probata fuerit ejus exiſtentia; quum non entis nulla ſint attributa. Probanda igitur ante omnia exiſtentia glorificationis corporum & dehinc ad eſſentiæ declarationem deveniendum.

§. 2. Præſupponendum autem hîc initiò, nos vocem *glorificationis* non eo ſenſu accipere, quo vel homines Deum glorificant, i. e. celebrant, virtutes ejus agnoſcendo & prædicando, Matth. 1. v. 8; vel Deus homines glorificat juſtificando ac renovando, Rom 8. v. 30; liberando item & ſalvando illos ab omni afflictione Pſ. 149. v. 4; ſed pro certâ conditione ac ſtatu, in quo corpora Sanctorum poſt hanc vitam deprehendentur. Deinde ſupponimus, nos conſiderare hoc loco corpus non quodcunq;, ſed humanum, nec quocunq; modo, quatenus eſt ſanabile, aut pars eſſentialis hominis: ſed ſub hoc formali, quatenus æterna gloria beandum. Nec etiam vocabulo reſurrectionis abutimur, ſignificationem alienam ei tribuendo, ſed propriam retinemus, eamque non generalem, quomodo reſurgere dicitur, qui vel caſu cecidit, vel ſponte conſedit, quo referri poſſe videntur loca

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

loca Pſ. 139. v. 2. Thren. 3. v. 63., quamvis ibi etiam per Seſſionem, ac reſurrectionem omnes hominis actiones totaque vitæ converſatio poſſint intelligi: ſed hoc volumus, eorum, qui in vera fide ex hac vita deceſſerunt, corpora animabus redunita glorificationis ſubjecta fore. Nempe glorificatio illorum, qui ante ſupremum diem obierunt, eorundem reſuſcitationem ſupponit. Et primas quidem tenebit ibi pulverum ac cinerum diſſipatorum collectio; huic ſuccedet illorum ad animas recipiendas diſpoſitio; quam ſequetur reductio animarum ad priſtina ſua domicilia, non corruptibilia illa, ſed virtute Chriſti mutata ac reformata. Cum vivis aliter iri comparatum ultro concedimus, Vid. B. D. Muſæus in tractatu de æternâ beat. &c. §. 67. p. 91. Ulterius obſervandum eſt, non de anaſtaſi corporum vegetabilium & ſentientium (purè talium), ſed ſolùm de reſurrectione corporum humanorum nobis ſermonem eſſe, reliqua enim glorificationis fore expertia, fides noſtra docet. Ubi tamen memineris, quando glorificationem ad ſola beatorum corpora reſtringimus; minime nos aſſertô illô patrocinari errori Judæorum præfractè impiorum reſurrectionem negantium; ſanctè enim credimus, Scripturæ S. auctoritate nixi, quæ diſtinguit mortuorũ omnium ἀνάστασιν in eam, quæ eſt ζωῆς, & in eam, quæ eſt κρίσεως, Joh. 5. v. 29. Neque etiam noſtra ſententia eſt, ac ſi invivis deprehenſi alieni futuri ſint à gloriâ fidelibus promiſſâ. Neutiquam. Contrarium Paulus 1. Theſſ. 4. v. 15. & 17. oſtendit. Ideo autem eorum mentionem in poriſmate noſtrô non fecimus, quod uti notiſſimum, à potiori fieri ſoleat denominatio.

§. 3. Veritatem autem aſſerti noſtri hoc argumento ex textu ſtabilimus:

Quicquid à Chriſto, formâ humilitatis exutâ, transfigurabitur & ita quidem transfigurabitur, ut conforme fiat ejus corpori glorioſo, id aliquando certò glorificandum eſt.

Atqui corpora noſtra, &c. E.

§. 4. Nunc ad illos deveniendum, qui affirmativam noſtram conantur infringere ſententiam. Dividuntur autem quam optimè in duas claſſes; prima eos ſibi vendicet, qui indirectè contra eam pugnant; cujusmodi ſunt tum Gentiles, pro delirio inſanæ mentis reſur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

reſurrectionem reputantes; tum Sadducæi παλιγγενεσίαν omnis carnis reſpuentes. Confer Diſput. Dn. D. Joh. Meiſner. ad v. 41, 42, cap 15. I. Epiſt. ad Cor. Mirum autem eſt, & eos, qui caput Eccleſiæ ab omnibus ſalutari volunt, ab hâc blaſphemâ ſententiâ non eſſe immunes. De Johanne enim XXIII. Rom. Pontifice acta Concilii Conſtantienſis referunt, quod Diabolo ſuadente pertinaciter crediderit, mortuos in die pantocritico haud reſurrecturos eſſe. Pabſt / Cardinál / und dergleichen groſſe Leute/ ſonderlich im Welſchlande / inquit B. Lutherus in explicatione 1. Cor. 15. cap., quæ extat Tom. 6, Jenenſ. Germ. p. 224. B., ſind auch feine/ weiſe/ vernünfftige/ gelehrte Leute/ aber ſind drey darunter/ die dieſen Articul (intellige eum, qui agit de reſurrectione carnis) ernſtlich gläuben/ ſo iſts viel. De Clemente VII. in agone conſtituto narrant, quod dubitarit de exiſtentia Dei, animæ immortalitate & futura vita. Pauli III. mortivicini diſcurſum cum Monacho de vita æterna agitatum Vid. præfat. des præſerv. wider die Peſt der Ath. B. Parentis. Hi omnes etſi directè non enervent vim theſeos noſtræ, id tamen, quod fundamenti loco à nobis poſitum, cum convellere audeant, nihilominus â nobis rei habentur objecti criminis. Altera claſſis contineat Platonicos, propius contradictoriæ θ. accedentes. Concedebant hi, teſte Auguſt. Tom. 5. lib. 22. C.D. cap. 27; etiam animas ſapientum redituras poſt quodlibet longũ tempus ad corpora humana, verum adhuc corruptibilia & terrena: Huic errori affinis erat & iſte, corpus terrenũ in cœlo non poſſe eſſe, ibid. cap. 11. Egregie autem D. Pater reponit falſæ iſti ſententiæ lib. 13. cap 17. C.D. inquiens: *Non ad beatitudinem conſequendam omnia fugienda ſunt corpora.* (ergò etiam nec terrena) *ſed corruptibilia, moleſta, gravia, moribunda.* Poteramus porrò his adjungere peſtem Socinianam, infauſtam illam opinionem noſtro tempore exorco revocantem: at melius erit, ad ſequens poriſma iſtud amandare negotium.

Poriſma II.

Glorificatio autem corporum fidelium reſuſcitatorum eſt conditio eorum feliciſſima, qua eadem numero corpora perfecta, quæ ceciderunt, qualitatibus corpori glorificato Chriſti convenientibus dotata erunt.

§. 1.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

§. 1. Quantum ad definitum, Poriſmate antecedente id enucleatum dedimus. Deſcribimus autem illud per *Conditionem*, quô vocabulô innuitur accidentalis corporũ fidelium poſt hanc vitam habitudo & ſtatus, removeturque eſſentialis eorundem mutatio & novorum productio. Siquidem corporis tanquam rei unius unica etiam eſt eſſentia, quæ tamen minimè diverſos excludit ſtatus. Alia enim conditio hominum eſt ante lapſum, alia poſt lapſum, alia corporum Beatorum, alia verò damnatorum. Fundatur autem ſententia noſtra manifeſtè in textu, ut qui ait, Chriſtum *transfiguraturum* eſſe corpus humile, ubi, notante D. Schertz. l. c. diſp. 148. p. 1200, μετασχηματίζειν idem eſt ac figuram ſeu σχῆμα, non φύσιν immutare; item μετασχηματισμὸς perinde eſt ac tranſitus rei ejusdem ab unâ ad aliam formam. Felicem porro cum appellamus ſtatum corporum Beatorum, non ſolùm infeliciſſimam reſpicimus damnatorum conditionem, nec non eam, quæ poſt lapſum multis implicita eſt miſeriis, ſed etiam cumprimis ſortem primi hominis, quæ etſi in ſuo genere optima, attamen collata cum hâc multis modis ei cedit. Amplius glorificationẽ tribuimus corporibus numero iisdem: ſiquidẽ ex eadem numero materiâ, in quam putrefactione, combuſtione, aliave ratione reſoluta ſunt, per Dei potentiam reproducentur corpora, quibus glorificatio obtinget. Id quod prolixiori non indiget probatione, poſſumus enim illud facile oſtendere 1. colligendo ab expreſſo Pauli aſſerto: Id quod eſt humile, transfigurabitur ſeu, quod idem, glorificabitur. Corpora noſtra ſunt humilia. E. Utraque præmiſſarum continetur in textu. Et certè Emphaſi non carent addita pronomina demonſtrativa ἡμῶν, ἀυτὸ. Iſtis enim quam maximè identitas corporis fragilis & glorificati deſignatur, ſiquidem id velle videtur Apoſtolus: ea corpora humilia, quæ jam circumferimus, quæ tot malis ſubjecta ſunt, tot ſtigmata propter nomen Chriſti ſuſtinent, in & cum quibus certamus, illa ipſa, inquam, transformabit Salvator, illa coronabuntur, poſtulante id ſuo modo juſtitia Dei retributiva. Etenim quis diceret, S. Martyres, qui tot pro Chriſto tormenta & cruciatus ſuſtinuerunt, non recepturos gloriam cœleſtem in ipſis illis, quæ talia paſſa ſunt, ſed in aliis & numero diverſis corporibus? *Vana*, inquit nervosè Tertull. lib. de reſurr. carn. cap. 48.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

trahenda eſt conſtictatio ejus, cujus nulla eſt reſurrectio. 2. Probat id corpus Chriſti. Si enim Chriſtus idem recepit corpus in reſurrectione & in eo glorificationem, in quo paſſus eſt, ſequitur & ſic comparatum fore cũ corporibus noſtris. Antecedentis veritatem ipſe Chriſtus Luc. 24. v. 39. ſatis demonſtrat. Nec eſt quod dicas, peculiari quadam Oeconomia à Salvatore factum, ut quandoque corpus ſuum ſpirituale tanquam phyſicum diſcipulis oſtenderet; Quandoque verò uſurparet plenariam corporis ſui ſpiritualis conditionem, cum evanuit. Diſparitio enim corporis Chriſti non arguebat carentiam carnis & oſſium, ſed culpa reſidebat in oculis Apoſtolorum, qui tenebantur, ne ipſum viderent. Ulterius quod concernit perfectionem corporum numero eorundem, debitam illa habebunt eſſentiam, nec ullo gradu eſſentiali deſtituentur. Vi igitur hujus perfectionis removentur 1. Fœtus ſeu Abortus inanimati, 2. Partus monſtroſi ſpeciem humanam planè mutantes, & brutis animantibus ſimiliores quam hominibus. De his certò cum affirmemus, neutiquam reſurrecturos eſſe, qui crederemus, futuros eſſe ſubjectũ glorificationis? Fundamentum hactenus dictorum ſuppeditat noſter textus. Corpora enim Beatorum corpori Chriſti erunt conformia; At illud gradibus eſſentialibus ſibi competentibus fuit integrum, omnisque monſtroſitatis expers. Ultimò quod ad ipſas attinet corporum reſuſcitatorum qualitates ſupernaturales, de numero donorum illorum nihil certi habemus, quod afferamus in medium, nec etiam arbitramur; quenquam mortalium in hac vitâ, quot ſint, exactè definiturum eſſe (id quod etiam volumus intellectum de quidditate harum perfectionum.) Etenim nonnulli decem numerant corporum glorificatorum dotes; alii, ut Radulphus, ſeptenario numero dotes illas complectuntur; Anshelmus ad numerum ſeptenarium illas etiam revocat, ſed paululum diverſa ratione. Vide Gerh. LL. CC. de vita æt. num. 81. f. 314. Sed hi vel multiplicant numerum donorum præter neceſſitatem, vel ea, quorum mentio neceſſario fieri debebat, omittunt. Nos proinde ſeqvamur D d. Scholaſt. Bonav. l. 4. Sentent. d. 49. Artic. 2. Q. 1, Thom. in compend. Theol. c. 168. Jac. de Vitriaco Dom. 4. Quadrages; Hugonem de Prato in Ev. Domin. Reſurr. quatuor glorioſorum corporum Qualitates (à nobis tamen paululũ immutatas) recenſentes, ſcil. *Impasſibilitatem*, *Claritatem*, *Agilitatem*, *Subtilitatem*.

tem. In fundamento autem aſſignando, quatenus in ſubſidium natura hic vocatur, ab ipſis diſſidemus, ſiquidem multa inconvenienter dicta continentur in rationibus iſtorum deſumtis vel à cauſa formali vel materiali hominis Vid B. Gerh. l c: num. 82. f. 315. B. Meiſn. part. 1, Phil. Sobr. Sect 3. c. 2. Q. 5. Firmius idem negotium inferius ex textu noſtrô deducemus.

§. 2. Jam paucis, datâ perſpicuè ratione noſtræ θ. diſſentientium lubet expendere opiniones cum rationibus. Fuerunt autem, qui contrarium qua ſubjectum glorificationis tenuere, tam ſæculis anterioribus, quam noſtro tempore. Antiquiorum nomina nudè ſaltem, additis iis, qui eos refutarunt, recenſebimus. Primus omniū igitur, qui plane glorificationem corporum non negavit, eorundem tamen numero corporum futuram eſſe non credidit, Origenes fuit, alias Adamantius dictus; Vir, ut loquitur Magnif. Dn. D. Præſes in coll. Hiſt. Eccleſ. mſcr. Sec. 3 Sect. 4. §. 5, in doctrina etiam Philoſophiæ ſecularis valde illuſtris & ſingulari in tractandis ſacris literis induſtriâ; hoc ipſo tamen Eccleſiam turbavit, dū credidit, fideles corpora recepturos cœleſtis cujusdam ſubſtantiæ carnis expertia, ſolū externā ſervantia figuram; ratio ejus inter alia hæc fuit præcipua; quod non appareat, qui corpus eſſe poſſit glorioſum, quod conſtat ex carne & ſanguine. Hinc firmandæ ſuæ ſententiæ gratia adduxit verba Apoſtoli I. Cor. 15. v. 50. *Hoc dico, fratres, caro & ſanguis non poſſunt conſequi hæreditatem regni Dei.* Gerhardus tamen, ὁ μακαρίτης, Loco de Reſurr. num. 70. f. 410. multos pro defenſione Origenis Autores citat, in quo excuſando ipſe etiam multum laborat, incuſans malevolas linguas verba ejus in alienum ſenſum detorquentes: *forte enim*, inquit Theologus ſummus, *carnis nomine intellexit Qualitates vitioſas non autem ſubſtantiam corpoream.* Quæ ſi mens Origenis fuit, facile ei aſſentimur. Deterior autem fuit Johannes *Jeroſolymitanus*, ſubſtituens loco *carnis* vocem *corporis*, contrà quem Hieron. in Epiſt. ad Pammach. 61. p. 173. fusè diſputat, fraudem detegens in iſthoc vocabulo latitantem. Ejusdem ſententiæ fuere etiam Euthymius, Eutychius item urbis Conſtantinopolitanæ Epiſcopus, cui Gregorius M. Epiſcopus Rom. contradixit in colloq. hāc de materiâ cum ipſo inito, conſimilis opinionis fuiſſe Johannem Philoponum, cognomento Grammaticum, putat D. Calixtus tract. de Reſurrectione Carnis

ne Carnis cap 9. num. 14. p. 111. Hos ſequuntur Armenii, & Albingenſes in eodem verſantes errore. Hinc Marus porrò atque Durandus non excludendi; quorum ille Beatos ſubſtantialiter ἰσαγγέλους dixit; hic, ne quidem per abſolutam Dei potentiam idem corpus poſſe reſurgere, & per conſequens quoque glorificari, aſſerit, D. 44. Q. 1. num. 6. Ad recentiores quod attinet; Sociniani recoxere Gentilium, de quibus ſub finem Poriſ. I. Veterumque, de quibus jam jam diximus, errores, ſummo contendentes niſu, corpora reſuſcitatorum ſine carne & ſanguine fore, unde illam ipſam carnem, quam nunc circumferimus, ratione eſſentiæ eandem olim haud reſurrecturã & per bonam ſequelam nec glorificandam eſſe. Socin in reſp. ad Pucc. p. 20. Loca ex Scriptura quam plurima hincinde corraſa pro confirmatione contradictoriæ adducunt, pro quorum tamen vero ac genuino ſenſu vindicando ſtrenuè hactenus pugnarunt Theologi, & præprimis in hoc capite ſedulam navavit operam Dn. D. Schertz. in collegio Anti Socin. Diſput. 147. usque ad Diſp. 157. incluſive. Nos pauca, prout feret inſtituti ratio, deguſtabimus. Oſtorod. igitur in inſtit. cap. 41. p. 390. ex noſtro textu ita concludit: Si Chriſtus habet corpus cœleſte, ſequitur, talia etiam credentes habituros. ℟. ſimpliciter negando antecedens, quod omninò probandum. Contrarium ſanè Scriptura teſtatur; ſcil. corpus Chriſti jam ſpirituale & incorruptibile, nihilominus tamen conſtare ex carne & ſanguine Luc. cap. 24. v. 39. Deinde κεης φύγετον quærunt in loco Matth. 22. v. 30. collato cum cap. 20. v. 36. Evang. Luc. item I. Corinth. 15. v. 20. Sed qua primum locum. ℟. ἰσάγγελοι erunt Beati, non quoad ſubſtantiæ Identitatem, ſed ratione ποιότητος ſive per Qualitatum convenientiam. Sicut enim Angeli cibo, potu, conjugio & veſtitu non indigent, ita nec Beati his opus habituri ſunt. Suadent porro antecedentia hanc interpretationem, eandemque venerandus Patrum ordo defendit. Conf. Tertull. l. de Reſurr. Carn. p. 347. Method. apud Epiph. l. 2. T. 1 adverſus Hæres. p. 183. Qua alterum dictum ℟. (α) in genere, Apoſtolum in toto hoc capite perſpicuè ejuſdem numero corporis Reſurrectionem & glorificationẽ aſſerere (β) Carnis nomine h. l. non intelligi ipſam corporis ſubſtantiam, ſed vitioſas propenſiones, conjunctas cũ

morte

morte & omnis generis paſſionibus doloroſis, per totam vitam carni adhærentes, v. Joh. 3. v. 6 (γ) Idem docet verſus 49. Cur enim portabimus imaginem Adami cœleſtis in vita futura? Certè cauſa nulla alia eſt, Apoſtolo judice, quam quod natura noſtra corrupta, qua talis, incapax poſſeſſionis regni cœlorum (δ.) Denique id probat ἐπεξήγησις immediatè ſubjecta. Idem verò quod Socinianis, etiam Vorſtio Photinianizanti, Anabaptiſtis item & Weigelianis dictum eſto.

Poriſma III.

Corpora glorificata erunt incorruptibilia.

§. 1. Τὸ *Corruptibile*, reſpectu habito ad corpora, dicit mutabilitatem tam à principio externo quam interno. Ex oppoſito igitur τὸ *incorruptibile*, iterum ad corpus relatum, infert negationem mutabilitatis, non omnimodæ (ne confundatur cum τῷ incorruptibili ſimpliciter tali, quod ſolus Deus eſt) ſed determinatæ; ſive ab intra illa contingat, ſive ab extra. Notanter autem corruptibilitatem corporis ejusque oppoſitum h. l. deſcripſimus, ne, quæ dicta, ad ſubſtantias Spirituales finitas referrentur, expertes cauſarum internarum materiæ ſubſtratæ corruptionem introducentium. Ulterius cum per vim deſtructivam aboleri poſſint rei alicujus vel eſſentia vel accidentia, interventu mutabilitatis materiæ & Qualitatum contrariarũ, imò & ope ipſius mortis; vi oppoſitorum relinquitur, per incorruptibilitatem ſervari eſſentiam integram & accidentia libera ab iſta mutabilitate, inimicitia irreconciliabili, & redactione in pulverem. Hinc fit, ut ἀφθαρσία propter duplicem illam habitudinem etiam in duos diſtinctos gradus diſtinguatur, quorum alter nomen impotentiæ patiendi meretur, propter negationem alterationis Qualitatum elementarium aliarumque paſſionum viam præparantium corruptioni totali; Alter verò titulo impotentiæ moriendi inſignitur propter defectũ mortis neceſſario nexu ſubſequentis cauſas præcedaneas à nobis jam tum memoratas. Singulis ſingula poriſmata à nobis conſtituentur.

§. 2. *Primo igitur corpora glorificata pronunciamus futura impaſſibilia.* Incipimus ab incorruptibilitate partiali, cui alter innititur gradus. Cœterum impaſſibiles dicuntur quoque Deus, Angelus & anima rationalis, ſcilicet propter carentiam materiæ Qualitatumq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

litatumq; invicem ſeſe oppugnantiũ: ſed corpora glorificata erunt materiata quidem, attamen ita, ut paſſiones doloroſæ auferantur â materiâ. Porrò ſi conſideramus impaſſibilitatem Protoplaſtorum, ingens inter illos quoque & homines æternâ beatitudine gaudentes datur diſcrimen: Utut enim potentia proxima patiendi â corporibus eorum abfuerit, remota tamen iis non eſt deneganda, aliàs paſſionibus deſtructivis non fuiſſent ſubjecta. Vi igitur impaſſibilitatis, tanquam perfectionis hominis beati, deſinent omnes paſſiones tũ internæ tã externæ, allatæ vel àprava concupiſcentiã, vel à fame, ſiti, æſtu, frigore, gladio, rebusq; aliis affligere corpus. Poſito hoc dono, ceſſabit contrariarũ Qualitatum in corpore glorificato pugna; Nativus calor non aget in humidum illud abſumendo; deventilationis pulmonũ nulla neceſſitas; nullâ ad vitam conſervanã exſpiratione & reſpiratione opus erit. Et ut brevibus nos expediamus, beneficio impaſſibilitatis, ab omni infirmitate, ſenio & morbis corpora Beatorom præſervabuntur, firma, ſana & robuſta. Id quod egregiè ſatis docet glorioſum Chriſti corpus, in ſtatu exinanitionis quidem, (ut ſilentio prætereamus illuſionem, flagellationem, & quo immanius quid excogitari non poterat, crucifixionem) fame, Luc. 14. v. 1.; ſiti, Joh. 19. v. 28; defatigatione & ſomno, Matth. 8. v. 24. laborans; at jam non amplius affectionibus corporis animalis obnoxium.

§. 3. Deinde ex incorruptibilitate ſequens fluit effatum: *corpora glorificata immortalia futura eſſe.* Quemlibet autem facile advertere putamus, de qua loquamur immortalitate. Non enim ſermo nobis eſt de eá, quæ competit Deo. Ipſe enim eſt ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν 1. Tim. 6. v. 16, excludentem ſcil. omnem mutationis ſpeciem, ſive fiat in deterius ſive in melius; nec de immortalitate loquimur Angelorum animæque rationalis, immortalium naturâ, non gratiâ; nec quoque intelligimus potentiam non-moriendi convenientem corpori primi hominis. Etſi enim illi per neceſſitatem naturæ nulla incumbebat potentia moriendi, nihilominus tamen certa conditione poſita, õ repugnabat ei ſuſcipere ſponte aliquam ſui ſtatus mutationem, & cum illa mutatione non tantum admittere potentiam, ſed etiam neceſſitatem moriendi. Sed loquimur de impoſſibilitate moriendi, profecta ex gratia glorificationis reſtitutæque

imaginis

imaginis divinæ perfectiſſimo modo. Notanter autem diximus, *ex gratia*, &c. Nam & corpora damnatorum erunt immortalia, cujus tamen immortalitatis cauſa non miſericordia Dei, ſed juſtum ejus judicium eſt. Memoratâ verò immortalitatem Beatis competere, præter promiſſionem divinam Eſ. 25. v. 8.; abolitionem mortis rerumq; eam cauſantium, Oſ. 13. v. 14, Rom. 7. v. 24; amiſſæ imaginis divinæ reparationem Sap. 2. v. 23; evincit id etiam corporum Beatorum conformatio ad corpus Chriſti. Quemadmodum enim hoc non amplius moritur, Rom. 6. v. 9; ſimiliter nec Beatorum corpora ab animabus ſuis ſolventur unquam. Statutum quippe homini eſt ſemel mori, Heb. 9 v. 27.

§. 4. Etſi autem veritati quam maxime conſentanea ſint Scripturæque exactè conformia hactenus dicta, reperti tamen ſunt, obſervante Joh. de Rada p. 4. controverſ. Theol. inter Thom. & Scot. Controv. 14. p. 538, qui pro parte negativa facerent, allegantes pro ſe tum Autoritatem Gregorii, qui ex Joh cap. 20. v 27. collegit, corruptionem omnino eſſe neceſſariam corpori glorificato, quoniam poſſit palpari; tum miſturam 4. Elementorum. Sed ℟. ad 1. Nullam in hoc argumento eſſe ſequelam, inde quod Chriſtus ſuis Diſcipulis ſe contrectandum præbuerit ὀ νόμῳ φύσεως, ἀλλ᾽ οἰκονομίας τρόπῳ. Ad 2. reponimus negando conſequentiam Major. Rationem negationis hanc damus; quod quatuor Elementa in corpore glorificatô ad Suaviſſimam perfectionem & æqualitatem (quæ Phyſicis temperamentum ad pondus dicitur) reducta ſubjecto interitum non moliantur. Cornua etiam in θ. noſtram vertunt Sociniani, negantes corpus Chriſti à reſurrectione fuiſſe immortale ob cicatrices, quas in corpore ſuô ſanctiſſimo geſtavit. Schmaltz. in exam. 157. Error. Sed ℟ (α) contrarium ex confirmatione θ. conſtat. (β) Propter Diſcipulorum utilitatem & ad veritatem reſurrectionis demonſtrandam Chriſtum ita apparuiſſe.

Poriſma IV.

Corpora glorificata erunt clariſſima.

§. 1. Altera proprietas glorioſorum corporum δόξα appellatur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

ſatur, cujus vocabuli varias acceptiones repete ex Sect. 1. §. 15. In præſenti notat ſplendorem, non naturalem, corporibus lucidis inhærentem, ſed mirabilem, multisque modis illum ſuperantem. Ut verò rectius de hujus Qualitatis natura conſtet, notari debet, nos voce *claritatis* omnem deformitatem, mutilationem & obſcuritatem removere, contra verò ponere omnis generis formoſitatem, integritatem & ſplendorem.

§. 2. Dicimus igitur I. *Nullam deformitatem ac mutilationem in iis locum habituram*, cujuſmodi aliàs in hominum, qui mortalitatem nondum exuerunt, corporibus non raro datur: quo referendæ cunctæ ἁμαρτημάτων τῆς φύσεως Species, quæ peccant tũ in ſexu, tum in membris, vel abſentibus vel præſentibꝰ cũ magno totiꝰ compoſiti dedecore, vel deficientibus aut excedentibus inſigniter communem menſuram, ſive ratione totius corporis, ſeu ratione alicujus partis; deſtitutis itidem contiguitate debita, concinna corporis figura, membrorum ſymmetria, coloris naturalis temperamento. Non igitur Homines Sexus dubii, Hermaphroditi, Acephali, Homines curtorum brachiorum, Pumiliones, Megacephali, Gigantes, Homines contuſis laceratisque membris, Gibboſi, Strabi, Piloſi, Hirſuti, Pallidi &c. in optatâ glorificatione apparebunt. Humores etiam ſupervacanei, capilli & ungues ſuperflui, magis extrinſecus corpus reſpicientes & denominantes, etſi non improbabiliter videntur excludendi ab actu glorificationis; præſtat tamen in his & ſimilibus ἐπέχειν, ne nimis curioſè inquirentes, vitium ἀφροσύνης incurramus. Id interim certum, abſentibus omnibus recenſitis deformitatibus, corpora fidelium contra futura formoſiſſima & pulcherrima. Dabitur omnium partium organicarum apta conformatio cum quadam coloris ſuavitate. Sexus diſcrimen manebit. Supernaturali lumine oculi colluſtrabuntur, ad minimum intra Objecti ſui latitudinem, ita quidem, ut iſtud perfectiori & illuſtriori modo, ſine noxa aſpiciant. Hactenus autem dicta expreſſè firmat claritas corporis Chriſti, quod nec ante, nec poſt reſurrectionem mutilum ac deforme fuit, ſed potius excludens penitus omne, quod deteſtabile fœdumque aſpectu eſt, decora ſpecie polluit.

§. 3. Dicimus II. *Corpora glorificata futura omnis obſcuri-*

t. In

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

tatis tenebrarumq́, expertia, contrà verò coruſcatura ea fulgore ſummo, ſpecie tamen diverſo à luce Solis & totius exercitus cœleſtis : ut adeò fruſtra laborent Scotus, Bonavent., Aliique Dd. Scholaſt: in definienda ratione hujus Qualitatis. *L*ucem naturalem enim conſtituunt menſuram claritatis corporum glorificatorum. Ceterum num non ſolùm exterius clara, ſed etiam interius diaphana viſui glorificato futura ſint, dies noviſſimus aperiet. Illud certum, claritatis donum inæqualiter participatura eſſe corpora fidelium, Dan. 12. v. 3.

§. 3. Improbamus hîc Origenis ſententiam, denegantem corporibus glorificatis partes organicas, cum nullus ſit earum futurus uſus: non enim, inquit, concoquet cibos ſtomachus aut epar ſanguinem conficiet. Sed ℞ (*α*) provocando ad exemplum Chriſti, qui Corpus organicum retinuit; pedes enim manusque diſcipulis oſtendit *L*uc. 24. v. 40. Ore locutus eſt comeditq́; v. 36. & 43. &c: (*β*) operatio membrorum deficiet, ſalvis interim ipſis relictis membris, quippe facientibus ad perfectionem & ornatum corporis.

Poriſma V.

Corpora glorificata erunt agilia.

§. 1. Pro intelligentia hujus, juxta ordinem ſuperius notatum, tertiæ perfectionis corporum glorificatorum, quatuor potiſſimum notant Dd. Scholaſtici. I. Quidem, duplicem in quolibet corpore compoſito motum dari, quorum alter ab elemento in materia illa prædominante, alter ab anima, vel vegetante, vel ſenſitiva, vel rationali oritur. II. Qvod virtute animæ motivâ, motâ unâ parte corporis, alia etiam moveatur. III. De ratione agilitatis in communi eſſe, ut illa ſit diſpoſitio quædam in corpore ad prompte ſe movendum eo motu, cujus principium non elementum prædominans, ſed anima eſt; & porrò ſpecialiter requiri perfectionem virtutis motivæ in anima & congruam diſpoſitionem ex parte corporis iſti motui non repugnantem. IV. De ratione hujus prædictæ diſpoſitionis eſſe, ut ope ejus impedimentum quodcunque removeatur, ſcilicet craſſities & gravitas corporis, nec non medium, per quod transeundum. Rada loco cit. Art 2. Nos putamus, donum agilitatis non minus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

corporibus glorificatis, quam ipſi animæ, competiturum, quamvis modo diverſo, ac proinde non nudam ſolum diſpoſitionem recipiendi motum ab anima impreſſum in corporibus glorioſis agilitatem involvere, ſed potius aptitudinem divinitus conceſſam expedite & velociſſimè variandi præſentiam. Ubi id adhuc monendum, ut ſint agilia Beatorum corpora, abeſſe ab iis oportere omnem neceſſitatem tardè & localiter ſeſe movendi, nec non principia iſtam cauſantia. Tandem potentia illa expedite motum exercendi ſupernaturaliter corporibus glorificatis conveniens, non excludit omnem motum ſucceſſivum & progreſſivum: poterunt enim Beati ob libertatem arbitrii vel pedibus incedere, vel motu avium moveri. Pro fundamento autem hujus affectionis allegari poteſt non tantùm ſpiritualitas poriſm. ſeq. aſtruenda; ſed cumprimis etiam in partes vocandum eſt corpus Chriſti, quod in momento diſparuiſſe coram Diſcipulis Emaunticis, non tardè abiiſſe; in momento ſine locali acceſſu, cum januæ clauſæ eſſent, apparuiſſe; in momento à nube receptum & conſortio fidelium adjunctum eſſe, conſtans Evangeliſtarum aſſertio eſt, Luc. 24. v. 31. Johan. 20. v. 19; Act. 1. v. 9.

§. 2. Sic firmata theſi noſtra adverſæ partis argumenta videamus. Primus omnium autem occurrit Rada l. c. Concluſ. 3. p. 346. aſſerens, promptitudinem ad movendum, ſive agilitatem, corporibus glorioſis naturalem eſſe. Cur verò iſtam, ſi naturalis eſt, jam tum non poſſidemus? quicquid enim rei naturale, id ſemper ipſi competit. Nec eſt, quod dicat; nondum dari virtutem in anima ſufficientem ad motum, corpus etiam repletum craſſis humoribus impedimento eſſe: quærimus enim, unde illa ſufficiens virtus motiva in ipſa anima? unde remotio humorum craſſiorum, qui corpus feſſum debileque reddunt? unde præparatio ad introducendum velociſſimum motum? nullam certè aliam cauſam aſſignare præter benigniſſimam divinam voluntatem poterit. Deinde ſunt, citante Rada, qui putant, Beatos iri raptum ab Angelis in nubibus Chriſto obviam. Sed ꝶ. raptū Angelorum non præjudicare aliquid agilitati corporum glorificatorum, denotatur enim iſto mi-

niſterium ſolùm ſpirituum puriſſimorum in congregandis Sanctis coram tribunali Chriſti. Denique idem Rada putat, non ſublatum iri gravitatem per dotem agilitatis à corpore. Rationem addit. Subjectum enim gravitatis terram ſcil. remanere, & videri repugnantiam inferre, ſi corpori gravitas non inſit. Sed ℟ poſſe omninò actum ſecundum gravitatis ſuſpendi, relicto ſalvo actu ejus primò. Luculentum extat exemplum 2. Reg. 6. v. 6.

Poriſma VI.

Corpora glorificata erunt Spiritualia.

§. 1. Poſtremum axioma corporum glorificatorum ſpiritualitas eſt: Ubi ante omnia benè tenendum, quid ſit corpus animale, quid ſpirituale, & quomodo inter ſe differant ac conveniant. Animale corpus igitur dicitur, non quod mutatum in animam, diſtinctæ enim ſunt perpetuoque manent naturæ, anima & corpus: ſed appellatur ita 1. Ratione informationis ad hanc vitam, cum ab anima corpus vitam motumque habeat. 2. Ratione qualitatum ſenſualium, ob quas viſibile, palpabile, craſſum & extenſum eſt. 3. ob affectiones naturam corporis animalis concomitantes, eamque vel infirmantes, ut fames, ſitis, frigus &c; vel conſervantes, quoad ſpeciem quidem, ut uſus conjugii, quoad individuum verò, ut eſus, potus, veſtitus &c. Contrà verò corpus ſpirituale non indigebit cibo, potu, ac veſtimentis; non erit obnoxium peccatis eorumque ſtipendiis. Siquidem Beati non eſurient, neque ſitient amplius, nec in eos incidet Sol, neque ullus æſtus Apoc. 7. v. 15. 16; non ducent uxores, neque nuptum dabuntur, ob ſimilitudinem cum Angelis & corpore Chriſti Matth. 22. v. 30. Denique ceſſabunt omnis generis morbi; imò mors ipſa abolebitur cum ſuis conſortibus, deſtructo enim ſubjecto ταπεινώσεως, vis & imperium prædictorum quoque deſinet. Different proinde corpus animale & ſpirituale Qualitatibus: Sicut enim illud vacat operationibus terrenis, patitur famem, ſitim, laſſitudinem, aliasve moleſtias; ita in hoc vis & potentia Spiritus vivificantis, evehentis illud ipſum ſupra naturæ ſuæ conditionem & immune præſtantis ab omnibus incommodis &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

infirmitatibus, dominabitur. Convenient interim eſſentiâ. Neque enim putandum, corpora animalia transformatum iri in ſubſtantiam ſpiritualem: ſed idem, quod nunc dicitur animale, in reſurrectione audiet ſpirituale. Optimè Auguſtin. lib. 13. de Civ. D. cap. 22. *Spiritualia erunt*, inquit, *non quia corpora eſſe deſiſtent, ſed quia Spiritu vivificante ſubſiſtent.* Porrò obſervandum, quod beneficio Spiritualitatis inviſibilia, ſubtilia & illocalia corpora glorificata futura ſint. Ubi datâ operâ paululùm â ſententiâ illorum recedimus, qui ſubtilitatem confundunt cum ipſa ſpiritualitate: differunt enim ut conceptus generalior & ſpecialior.

§. 2. Dicimus igitur I. *Corpora glorificata fore inviſibilia oculis corporum non glorificatorum.* Hic notamus (α) τὸ inviſibile utut vi vocis, non niſi purè negativum quid eſſe videatur, tamen, ſi rem ſpectes ipſam, omnino notare perfectionem. (β) Corpora glorificata dici inviſibilia, non ἁπλῶς, qs. viſum præteritura ſint cujuscunque ſubjecti, ſed κατά τι, ratione certi ſubjecti. (γ) Nec hunc eſſe ſenſum propoſitionis: corpora glorificata erunt inviſibilia, ac ſi planè non ſint viſu perceptibilia futura; ſed iſtum, corpora glorificata non neceſſariò actu viſum iri. (δ) Alio modo ſpiritus, alio corpora glorificata inviſibilia fore. Illos per eſſentiam; Hæc per accedentem immutationẽ. (ε) Nõ de oculis mentis, ſed de oculis corporis nos loqui. (ζ) Nec de oculis glorificatis ſed õ glorificatis ſermonem nobis eſſe. (η) Diſtinguendum inter neceſſitatem naturæ & peculiarem diſpenſationem divinam. Quibus ad eum modum obſervatis poſſemus quidem concluſionem noſtram probare à natura corporis πνευματικοῦ, corporum lucidiſſimorum, tenuium item & ſubtilium, nec non ab ἀσυμμετρίᾳ ſenſibilis & ſenſorii; Sed, ut antè, recurremus ad Chriſtũ. de quo dicitur Luc. 24. v. 31. ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, quibus non innuitur diſceſſus localis ac ſubitaneus, quia is in inſtanti fieri nequit, vidiſſent etiam Apoſtoli Chriſtum abeuntem, ſi per diſceſſum localem inviſibilis fuiſſet factus, imò miraculi nihil ſubfuiſſet. Abeant ergò ſectarii denegantes corporibus glorificatis inviſibilitatem. Ratio eorũ valde lubrica eſt: ſunt enim, inquiunt, quanta ac lucida. Sed ℞. Præterquam quod confundant corpus

ψυχικὸν

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

ψυχικὸν cum τῷ πνευματικῷ, neſcire etiam ipſos diſcernere actum ſecundum gravitatis ab actu primo.

§. 3. Dicimus II. *Corpora glorificata erunt ſubtilia, ſive, quod idem, penetrabilia.* Sex naturæ impoſſibilibus à Peripateticis etiam annumeratur *penetratio dimenſionum*, quæ, definiente pl. Rev. & Exc. Dn. Herm. Beckero in coll. Phyſ. Sect. 2. c 2. Th. 2, eſt, *quando corpus unum trinâ conſtans dimenſione, aliud eadem Quantitate præditum penetrat.* Hic obſervamus quinq; potiſſimum. (α) corpora, vel penetrantia eſſe, vel penetranda, utraq; longa, lata & profunda (β) Penetrationem à nobis intelligi veram, non apparentem, videntur enim ſæpè corpora penetrari, quæ ſolùm craſſioribus cedunt. (γ) Subtilitatem penetrationi dimenſionum oppoſitam conſiſtere in aptitudine alia corpora penetrandi cum non repugnantia exiſtendi cum alio corpore in eodem ſpatio. (δ) Corpus, quod penetrat, debere eſſe glorioſum, alterum paſſivè ſe habens, contrariâ Qualitate affectum. (ε) Etiamſi nos non valeamus ſatis exprimere modum penetrationis, propterea tamen rem ipſam ſtatim non eſſe negandam. His ritè obſervatis, uti rectè cum Philoſophiæ naturalis Doctorib9 pronunciamus, naturaliter impoſſibilem eſſe penetrationẽ dimenſionum, cùm dimenſiones ſe invicem excludant, nec una alteram admittat; ita contra omnipotentiæ divinæ nullos præſcribimus limites, ut quæ, infinitâ cum redundantiâ agens, infinitis modis poteſt facere ſupra ea, quæ mente nos concipimus. Quare non poteſt non illa quoque ejusmodi facultatem corporibus glorificatis impertiri, ut liberè permeent corpora non glorificata. Adde agilitatem & ſpiritualitatem idem demonſtrantes, nec non conformitatem corporum Beatorum cum corpore Chriſti, quod lapidem ab oſtio ſepulchri nondum devolutum perrupit & pertranſiit, poſt reſurrectionem etiam introiit ad Diſcipulos τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, non ac ſi quis ei aperuerit fores, vel ſponte illæ patuerint, aut etiam parietes pervii facti ſint, quemadmodum quidem Calviniani in gloſſis ſuis nugantur, ſed quod per fores benè clauſas obſeratasve corpus Chriſti ingreſſum, ſubitò, non pedetentim in Apoſtolorum medio ſtetit, adeò ut opinarentur, ſe videre ſpectrum Luc. 24. v. 37. Ineptè ergò Reformati penetrationem corporum glorificatorum pro re falsâ, impoſſibili & contradictoria habent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

§. 4. Dicimus III. *Corpora glorificata erunt illocalia.* Quantum ad ſubjectum, notandum eſt, nos non loqui de corporibus animalibus ſed glorificatis ſeu ſpiritualibus, quæ propter hoc unam cum Angelis obtinebunt adeſſentiam ad πȣ̃ non repletivum, aut circumſcriptivum, ſed definitivum. Cum enim Beati nec futuri ſint ullibi, nec ubique, non poterunt non dicere habitudinem ad πȣ̃ aliquod definitivum. Ad hanc verò notandum eſt, requiri (α) præſentiam corporis ipſius glorificati, non per operationem duntaxat, aut per aliquid inſtar operationis, neque etiam per aliqualem virtutis applicationem ad operationem. (β) eamque definitivam (i. e. per definitionem & deſignationem, ut, cum corpus v. gr. in cœlo eſt, non poſſit exiſtere interris (γ) Impartibilem porrò intelligi ratione eſſentiæ. *P*er naturam ſcil. & naturales perfectiones totum corpus glorificatum exiſtere poteſt in toto ſpatio & in quâvis ejus parte; ratione præſentiæ verò, qua actualem ſpatii deſignationem diviſibile eſt, quoniam tum partes ſpatii alias atque alias ſibi definit. (δ.) Requiri πȣ̃ determinatum, ad quod fieri debet adeſſentia, non indeterminatum. (ε) Præſentiam illam fieri debere citra occupationem ſpatii. Non enim eo modo aderunt corpora glorificata, quomodo corpus animale, quod omnes ſpatii dimenſiones replet cum excluſione alius; Ubi tamen ſemper eximimus diſpenſationem divinam, juxta hanc enim omnino fieri poteſt, ut Beati in certo loco ſint. (ζ) Notandum, definire corpus ſpirituale ſibi poſſe ſpatium modò majus modo minus pro imperio voluntatis. Ubi id adhuc addendum, non diſquirere nos, utrum corpus glorificatum poſſit eſſe ſimul in pluribus locis, ſed num certo circumſcribatur loco? *E*t ſanè mirum eſt, id non concedi corporibus glorioſis, quod tamen aliàs verificatur de corporibus non glorificatis, à quibus actualem abeſſe poſſe circumſcriptionem, haud contemnendis argumentis probant *P*hiloſophi. Vid. pl. Reverend. D. Rudrauff. in tract. Philo-Theoſoph. vol 2. Diſpp. D 14. §. 6. & ſeqq. Quod ἀπόδειξιν noſtræ th. concernit, probant illam 1. Spiritualitas, negans omnem magnitudium extenſivam. 2. Vox ȣ̓ρανȣ̃ in textu deprehenſa, per quam ſedem Beatorum intelli-

gi, ſupra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

gi, ſupra ſect. 1 §. 3 annotavimus. Iſtam verò non eſſe locum ſtrictè dictum, confirmant tum adeſſentia Angelorum exiſtentium in cœlô Beatorum, non velut in loco; tum vera ſignicatio cœli Beatorum cœleſtem denotantis gloriam; nec non interitus cœlorum localium. Sed quid ad hæc Calvinus? dicit I, corpora glorificata tanquam quanta & finita circumſcriptivè adeſſe ℟. Negando conſequentiam; à τῷ quanto enim & finito ad actu circumſcriptum N.V.C. II. Urget poſitionem partium extra partes earumque à ſpatiis commenſurationem. ℟. Concedendo de Quanto ſpectato ſubjectivè, id ſcilicet partes habet extra partes, non tamen ſtatim actu hanc vel illampartem loci partibiliter occupat: ponamus enim, Deum locare corpus aliquod extra mundum, hic certè cadet coexiſtentia ad locum aliàs requiſita. Alia argumenta, quibus ferire theſin noſtram Adverſarii audent, futuro (Deo dante) conflictui reſervamus. Atq; hìc ſubſiſtentes, terminū meditationis noſtræ ponimus. Reliqua quam plurima, cum in poteſtate noſtra non ſit, omnes myſterii hujus profunditates expiſcari &ad vivum reſecare, differamꝰ ad alteram cœleſtem & æternam ſcholam, ubi pervenerimus ab Eſoptricâ ad viſionem Epopticam. Conſiderationem hanc Theologicam in præſenti doxologia omnium Creaturarum, Apocal. 5. v. 13, repertâ obſignamus.

Τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ τῷ Ἀρνίῳ ἡ εὐλογία, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

Sic cathedram ſcandis noſtram, non vile daturus
Doctrinæ ſpecimen, dulcis Amice, tuæ?
Gloria, Virtutis comes indivulſa, ſequetur.
Ter tibi ſit felix illud honoris iter!

Paucis iſtis lineolis affectum teſtari voluit non vulgarem Eximio Dn. Auctori-Reſpondenti, Iuveni paterna legenti veſtigia, id eſt, Pietatis & Eruditionis ſectatori ſtrenuo, largiſſimam benedictionem divinam ſtudiis ipſius ex animo precatus,

CHRIST. Kortholt / D.

Ad

Ad Nobiliſſimum Scriptorem, hujusque Diſputationis Defenſorem;
Fautorem, Amicum honorandum.

PRæruptam montis qui tentat ſcandere rupem,
  Sollicitam curam non adhibere piget,
Sed, donec culmen pervincat verticis ejus;
  Enitatur eò continuô ſtudiô.
In montem tendis quoque, dulcis Amice, ſupernum,
  In quo Pieridum pulchra reperta vigent.
Quod ſatis oſtendis dum vis certamen inire
  *D*octum cum doctis. Gratulor ergò Tibi.
Succeſſum ſummus felicem Iova labori
  Pervigili, ſemper det ſtudiisq; Tuis.
Præmia, quæ meruit docilis ſolertia dudum,
  Tempore non longô digna feret Studiis.

Theodorus Friderici.

Clariſſ. Dn. Großgebauer/ *Fautor ac Amice ſingulariſſime.*

IN *Te* num celebrem primùm *Pietatis amorem*;
  An *cultum ingenium*? fluctuo, crede mihi:
Hoc etenim, longo cùm ſis mihi cognitus uſu,
  Teſtificor ſanctè: *Doctus es atque pius.*
Id probat & vitæ curſus: quin pagina præſens
  Docti animi atque pii dat documenta *Tui.*
Hinc & magna *tuæ doctrinæ* præmia tandem,
  Majora in cœlis at *pietatis* erunt.
Dum verò cathedram, *Kortholto Præſide Magno*,
  Cum laude aſcendis; gratulor atque precor:
Fortunet, per *Te* ſimul ut ſua gloria creſcat,
  Conatus ſacros & tua cœpta Deus!

Roſtochii A, 1680, d. 23 Mart.

T.

M. A. P. Roſtoch.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-304 4° 1542